

DOMINUS CONDIDIT ME INITIUM VIARUM SUARUM IN OPERA SUA (PROV. 8, 22), PEL P. JOAN ROVIRA, S. J., PROF. DE SDA. ESCRITURA (ANTIC TESTA- MENT) EN EL COL·LEGI MÀXIM DE ST. IGNASI DE SARRIÀ - BARCELONA

I

De sensu et interpretatione hujus textus celebris in Concilio Nicaeno, inter Sanctos Patres et Arianos controversia fuit. Quare operae pretium esse existimo de valore et significatione hujusmodi textus apud Sanctos Patres aliqua breviter dicere.

Ariani, ut notum est, aeternitatem et divinitatem Verbi negabant. Etenim Arius de Dei Filio haec in vulgus jactare solebat: "Erat aliquando, quando non erat: ex non extantibus factum est, non de Patris substantia genitus: ex tempore, non ab aeterno: haudquaquam Deus verus de Deo vero; sed ex nihilo creatus, minor Patre, voluntate naturaque mutabilis". (*Hist. Conc. Nic. Mansi*, t. 2, 635).

Haec similiter Ariani dicebant, quantumvis aliqui errores suos quodammodo tegere et dissimulare studerent, ut ait S. Athanasius: "Haec nempe illi scripserunt: Creatus est, sed non ut una ex rebus creatis: factus est, sed non ut una ex rebus factis: genitus est, sed non ut una ex rebus genitis". (S. Athan., *Or. 2 contra Arian.*, n. 19, PG, 26, 185).

Ut autem hos suos errores probarent, Ariani potissimum praedictum Proverbiorum textum, Prov. 8, 22, ut invictum argumentum allegabant. Ut enim communiter admitti solebat, in illis Proverbiorum verbis inducitur loquens Sapientia vel Verbum Dei. Sed expresse dicit se creatum: *Dominus creavit me*. Ergo in sacris Scripturis expresse asseritur, Verbum esse creatum, quamvis non sit ut una e rebus creatis.

Huic argumento simplicissimo Sancti Patres, licet diversis modis loquentes, simplicissimam solutionem proponebant. Dicebant enim verba illa proferri quidem a Sapientia Dei, sed a Sapientia divina incarnata, videlicet, a Christo Domino cujus humanitas creata est, quique proinde vere dicere poterat: *Dominus creavit me*.

Profecto, si Gelasii Cyziceni verbis standum esset, Patres in ipso Concilio

Nicaeno verba illa Proverbiorum potius intellexerunt de sapientia rationali vel humana. Hanc enim ipse Nicaenis Patribus tribuit responsionem: ... "Quod enim ante mundi constitutionem Dominus invenit prudentia sua, hoc tandem Dominus post mundum et mundi naturas creavit. Ait ergo Salomon quasi ex persona humanae sapientiae, quae in divina intentione ante mundum exiit. *Dominus condidit me initium viarum suarum in opera ejus*, humanam sapientiam ac rationalem homini ad imaginem Dei facto praeparatam, haec pronuntiantem induxit. Hoc igitur erat, *Dominus condidit*. De illo enim qui in divina intentione ante mundum fuit, hoc exposuit. (Gelasii Cyziceni, *Comment. Actorum Concilii Nicaeni*, l. 2, c. 18. — Mansi, *Concil.*, t. 2, 344...).

At nunc non de illa Nicaena controversia agendum est, sed de sensu et interpretatione textus praedicti apud Sanctos Patres. Quid autem Sancti Patres senserint, quid dixerint, aut quomodo verba illa Proverbiorum intellexerint et exposuerint, profecto non aliunde, quam ex ipsorum Patrum scriptis erui debet

II

Primus ergo sit fortissimus ille impugnator ac debellator Arianorum S. Athanasius, qui diversis in locis illam Proverbiorum sententiam perpendit.

Sic in Expositione fidei: "Itaque corpus quod quidem propter nos assumpsit, res creata est, de quo dicit Jeremias juxta Septuaginta interpretum editionem: *Dominus creavit nobis in plantationem salutem novam, in qua salute homines circumibunt*, Jer. 31, 22. Interprete autem Aquila: *Creavit Dominus novum in femina*. Creata porro nobis in plantationem salus nova et non antiqua, nobis et non ante nos Jesus est, qui quatenus Salvator factus est homo, quae quidem vox, *Jesus*, aliquando *salus*, aliquando *Salvator* redditur. Est autem ex Salvatore salus, ut ex lumine illuminatio. Itaque nova ex Salvatore orta salus, ut loquitur Jeremias, nobis salutem novam creavit, vel, ut vertit Aquila: *Creavit Dominus novum in femina*, id est in Maria. Nihil enim novum in femina creatum est, nisi Dominicum corpus, quod Maria virgo absque concubitu peperit, ut ex persona Jesu in Proverbiis legitur: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*. Prov. 8, 22. Non dicit, ante opera creavit me, ne quis id ad divinitatem Filii referret". (S. Athanasius, *Expositio fidei*, n. 3, *PG*, 25, 205).

Paulo aliter idem sanctus Pater, in sua de Nicaenis Decretis Epistola, in qua vocem illam, *creavit*, dicit sumendam esse in sensu lato, ita videlicet, ut idem significet atque *praefecit*. Haec enim ille ait: "Qui scilicet contra mentem divinae et propheticae Scripturae haec verba explicant: *Dominus creavit me principium viarum suarum*. Nec enim, ut scitis, una est significatio verbi, *creavit*. Nam hoc in loco, *creavit*, idem est ac *praefecit* operibus ab ipso factis,

factis, inquam, per ipsum Filium. Hoc autem verbum, creavit, hic intelligendum non est pro, fecit: siquidem facere et creare inter se differunt. Hinc Moyses in magno Deuteronomii carmine ait: *Numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, et fecit te, et creavit te?* Dtn. 32, 6. Sic etiam illos recte quis possit coarguere: O praecipites temerariique homines! Ergone facta res est primogenitus omnis creaturae, Coloss. 1, 15, qui ex utero ante luciferum genitus est, Ps. 109, 3, qui ut Sapientia dicit; *Ante omnes colles me gignit?* Prov. 8, 25. Denique Scripturae divinae multis in locis genitum eum dicunt, nusquam vero factum: ex quibus aperte convincuntur falsa de Domini generatione opinari” (S. Athan., *Epist. De Decretis Nicaenae Synodi*, n. 26, PG, 25, 464).

Praesertim vero in oratione secunda contra Arianos illa Proverbiorum verba multis modis exponit. Sic enim ait: “Itaque nec illud intelligentes quod in Proverbiis scriptum est: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*, Prov. 8, 22, nec istud Apostoli: *Qui fidelis est ei qui fecit illum*, temere altercantur ajuntque Dei Filium rem factam et creatam esse... Quem (christianismum) si cognoscerent, sese in judaeorum nostrae aetatis infidelitate nequaquam concluderent, sed soiscitando discerent, quod: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, Jo. 1, 1: cum autem volente Patre ipsum Verbum homo est factus, tunc jure merito de illo dictum est a Joanne quidem: *Verbum caro factum est*, Jo. 1, 14: et a Petro: *Dominum et Christum cum fecit*: Act. 2, 36: et per Salomonem velut ex ipsius Domini persona: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*, Prov. 8, 22: item a Paulo: *Tanto praestantior factus angelis*, Hebr. 1, 4: et alibi: *Semetipsum exinanivit, forma servi assumpta*, Philip. 2, 7: et rursus: *Unde, fratres sancti, vocationis caelestis participes, considerate apostolum et pontificem confessionis nostrae Jesum, qui fidelis est ei qui fecit illum*, Hebr. 3, 1-2. Haec enim et similia dicta eandem vim significationemque habent, quae et pietati est consentanea, et Verbi divinitatem ostendit, itemque ea quae humano more illi attribuuntur, dicta esse quatenus ipse filius quoque hominis factus est. (S. Athan., *Oratio II contra Arianos*, n. 1, PG, 26, 148).

Postea vero ipsum textum Proverbiorum accuratius expendere aggreditur, ea quae objiciebant Ariani proponens ac refellens, ubi haec ait: “Jam vero, si placet, istud Proverbiorum: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*, dispiciamus: quamquam cum Verbum rem factam non esse ostenderit, plane nec rem creatam esse simul probatum est. Idem enim est si rem factam vel creatam dixeris: proindeque argumenta quibus probatur eum non esse factum, eadem ostendunt creatum non esse. Quocirca permirum sane est illos confirmandae impietatis causa varia comminisci, nolleque allatis cedere argumentis. Namque primo quidem simpliciores circumvenire conati sunt, ita interrogantes: *Qui est eumne qui non erat fecit ex non existente, an qui erat? Et, habuistine filium priusquam genuisses? quod esse futile ut probatum est, aliam sunt com-*

menti quaestionem, nempe, Unumne est non factum an duo? sed ibi quoque devicti, istam rursus excogitavere: Num liberi est arbitrii naturaeque mutabilis? Quod cum pariter explosum fuisset, illud Apostoli perperam sunt interpretati: *Tanto praestantior factus angelis*, Hebr. 1, 4. Verum cum hoc etiam illorum commentum dissolverit veritas, jam omnia illa simul colligentes, rei factae et creatae vocabulis suam sperant confirmare haeresim... Quapropter licet ex his quae jam dicta sunt, vanum hunc illorum conatum esse perspicuum sit: quia tamen illum Proverbiorum locum ubique circumferunt et pervulgant, atque plurimis, qui christianae fidei ignari sunt, aliquid dicere videntur; necesse est quemadmodum de his verbis: *Qui fidelis est ei qui fecit illum*, Hebr., 3, 2, disse-ruimus, sic et istam dictionem, *creavit*, seorsim expendere, ut, hoc in loco sicuti in aliis omnibus, nihil praeter mera mentis commenta sibi esse convincantur.

Primo ergo videamus quaenam initio, cum ab ipsis fingeretur haeresis, beatae memoriae Alexandro tradiderint. Haec nempe illi scripserunt: "Creatus est, sed non ut una e rebus creatis: factus est, sed non ut una e rebus factis: genitus est, sed non ut una e rebus genitis".

Hanc autem eorum simulationem refellit, dicens: "Verum hujusmodi verbis suam apertius patefecerunt impietatem. Nam si secundum vos creatus plane est, cur simulatione utimini addentes, sed non ut una e rebus creatis? si item vere factus est, quid illud significat, sed non ut una e rebus factis? qua profecto in re venenum haeresis percipere licet. Cum enim dicunt eum esse genitum, sed non ut unam ex rebus genitis, multos inducunt filios, quorum unum esse Dominum opinantur, ita ut secundum illos jam non sit Unigenitus, sed unus et ipse inter plures fratres et genitus et Filius appelletur".

Deinde respondet etiam inter res creatas non omnes esse aequalis perfectionis, neque unam esse ut alias: "Certe universa rerum aspectabilium natura intra sex dies facta est, ita ut prima die lux facta sit, quam vocavit diem; secunda, firmamentum; tertia, congregatis aquis aridam patefecit, variosque in ea produxit fructus; quarta, solem et lunam... Atqui neque lux ut nox est, neque sol ut luna, nec brutae animantes ut homo ratione praeditus, nec angeli ut throni, nec throni ut potestates; sed res illae omnes creatae quidem sunt, at singulae in propria natura, uti factae fuerunt et sunt et permanent.

Vel igitur Verbum ex factis rebus eximatur, atque ut creator, reddatur Patri, et Filius natura esse concedatur. Aut si vere res est creata, eundem ordinem habere fateantur, qualem inter se habent res ceterae. Singulae itaque creatae dicantur, non vero, ut una ex rebus creatis; genitae similiter et factae dicantur, non tamen, ut una ex factis aut genitis rebus... Tametsi enim Filius aliis rebus comparatus, longe illis excellit, nihilo tamen minus res est creata ut illae; quippe cum etiam inter res quae natura creatae sunt, aliae aliis sint praestantiores. "Stella enim a stella differt in gloria", 1 Cor. 15, 41.

Deinde vero probat Verbum non creatum esse, sed Creatorem: "Nam, ut ipsum Verbum ait: *Eram apud illum componens*, Prov. 8, 30. Et: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, Jo., 5, 17. Quae dictio, *usque modo*, significat ipsum ut Verbum semper in Patre exsistere. Siquidem Verbi proprium est, Patris opera efficere, nec extra eum esse. Quod si quae Pater facit, eadem et Filius facit, et quae creat Filius, Patris sunt creaturae; certe si Filius creatura est Patris, vel ergo ipse seipsum efficit, proindeque se ipse creat (quandoquidem quae Pater facit, eadem Filii sunt opera), quod profecto absurdum est, nec fieri ullo modo potest; vel si Patris opera creat et facit, igitur nec opus nec creatura est, ne cum ipse sit causa efficiens, in rebus quae fiunt facere reperiatur quod ipse factus est: cum potius ne facere quidem possit. Qui enim fieri queat, ut ea quae non sunt efficiat ut sint, si, ut putatis factus e nihilo est? Quod si ille licet creatus, possit producere creaturam: certe idem de singulis creaturis erit intelligendum, nempe illas creare posse. Quod si a vobis conceditur, quid Verbo opus fuit, cum inferiores a superioribus effici queant: vel saltem cum res singulae factae potuerint a Deo initio audire, Fias, et, Efficere, atque ita fuissent productae". (S. Athan., *Or. II contra Arianos*, nn. 18-21, PG, 26, 184...).

Sic ergo pergit Arianorum objectiones solvens eorumque errores refellens. Postquam autem his omnibus viam sibi ad explicationem textus Proverbiorum complanavit, eum declarare incipit, praemonens antea illum proverbialiter seu proverbiorum more esse intelligendum: "Haec porro, loci Proverbiorum explicandi gratia, hactenus praemisimus, absurdisque illorum refellendis commentis institimus; ut perspectum habentes, Filium Dei dici creatum non debere, recte legere discant illum Proverbiorum locum, cujus sana utique est sententia. Itaque scriptum quidem est: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*, Prov. 8, 22; verum quia proverbia illa sunt, idque instar proverbii est dictum; haec idcirco verba non, ut nude jacent, sunt explicanda, sed attendendum est ad personam, itaque congruenter pietati, ea par est intelligere. Nam quae proverbiorum instar dicuntur, non clare et aperte, sed obscure enuntiantur, ut ipse Dominus in Evangelio secundum Joannem his verbis docet: Haec in proverbii locutus sum vobis. Sed venit hora cum jam non in proverbii loquar vobis, sed palam, J. 16, 25... Igitur si de angelo vel de aliqua alia re facta, uti nos sumus, scripta sunt: haec dictio, *creavit*, per me licet, proprie usurpetur. Sed si Sapientia Dei, in qua res factae omnes productae sunt, hic de seipsa loquitur: quid cogitare convenit quam eam cum verbo, *creavit*, usa est, nihil contrarium vocabulo, *genuit*, dicere, neque oblitam se creatricem et effectricem esse, aut ignaram quid inter creantem et creata intersit, seipsam inter res creatas annumerasse, sed sensum aliquem non apertum, sed abstrusum, proverbiorum more, significare, secundum quem sanctos ad vaticinandum excitarit, ipsaque paulo post eadem significatione vocem, *creavit*, hisce aliis denotarit verbis: *Sapientia aedificavit sibi ipsi domum?* Prov. 9, 1. Certum est autem Sa-

ipientiae domum, nostrum esse corpus, quo assumpto factus homo est, unde jure merito a Joanne dicitur: *Verbum caro factum est*, Jo. 1, 14; et Sapientia ipsa de se per Salomonem haud inconsulte ait, non, Ego sum creata, sed tantum: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*, non autem ut essem me creavit, neque quod simile habeam rerum creatarum principium et originem.

Non enim Verbum hoc in loco naturam suae divinitatis vel aeternum germanumque sui ipsius ex Patre ortum, Salomonis verbis significavit: sed solam humanitatem et susceptam nostri gratia dispensationem intellexit. Hinc, ut jam monui, non dixit: Res sum creata, vel, Creatura facta sum, sed tantum, creavit. Siquidem res creatae, quia creatam habent naturam, e numero rerum factarum sunt, et creari dicuntur, omninoque creatura creatur. At sola dictio, creavit, non necessario naturam vel ortum significat, sed aliquid aliud circa rem de qua loquitur, fieri innuit: nec proinde id quod dicitur creari, etiam natura et substantia creatum est. Quod quidem discrimen non ignotum est divinae Scripturae...

Itaque ea, quae ex natura sua substantiam habent creatam, creaturas dici, et vere creari, satis ex his patet... Quod vero sola dictio, creavit, non semper naturam significet vel originem, liquet ex Davide, qui in Psalmis ait: *Scribantur haec in generationem alteram, et populus qui creabitur, laudabit Dominum*, Ps. 101, 19; et rursus: *Cor mundum crea in me, Deus*, Ps. 50, 12... Neque enim David de populo aliquo, qui secundum substantiam crearetur, sermonem habebat, nec orabat ut cor acciperet aliud ab eo quod jam haberet: sed eam, quae secundum Deum est, renovationem significabat et instaurationem...

Namque hoc ex ipso loco convincitur merum vestrum commentum esse, quod Dominum creatum esse affirmatis. Quippe Dominus sciens suam naturam esse unigenitam Sapientiam, Patrisque fetum, et aliam a factis et ex natura creatis rebus, nunc perhumaniter dicit: *Dominus creavit me initium viarum suarum*, quasi scilicet diceret: Pater corpus mihi perfecit, Hebr. 10, 5; et me ad homines pro hominum salute creavit. Quemadmodum enim cum a Joanne audimus: *Verbum caro factum est*, Jo. 1, 14, non totum Verbum carnem esse, sed carnem tantummodo induisse factumque esse hominem intelligimus: cum item audimus: *Christus pro nobis factus est maledictum*, Gal. 3, 13; et: *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, 2 Cor. 5, 21; non etiam totum ipsum intelligimus maledictum et peccatum factum esse, sed nostram maledictionem duntaxat suscepisse, ut Apostolus his verbis docet: *Redemit nos de maledictione*, Gal. 3, 13, nostraque portasse peccata, ut ait Isaias, Is. 53, 4, atque ea, ut scribit Petrus, corpore in lignum sustulisse. Similiter ergo si vocem, creavit, in Proverbiis audierimus, non totum Verbum creaturam esse, sed creatum induisse corpus intelligendum est, Deumque pro nobis ipsum creasse, et illi creatum corpus, nostri causa, uti scriptum est, perfecisse, ut in ipso renovari diique effici possemus... Proverbia quidem dictionem, creavit, habent: at Filium non

creatum sed genitum esse ajunt, et juxta vocis, creavit, et creaturae, differentiam, quam paulo antea ex Scripturis explicavimus, illum agnoscunt Sapientiam esse unigenitam et rerum creatarum opificem, quod quidem naturae Filii proprium est. Cum autem vocem, creavit, usurpant, non de ejus loquuntur natura, sed eum multarum viarum principium fieri significant, ita ut vox, creavit, voci, fetus, opponatur: quod autem principium viarum dicitur, ipsi Verbo opponitur quatenus est Unigenitum.

Nam si genitus est, quare illum creatum dicitis? Nemo enim quae creat gignere dicit, nec proprios fetus vocat creaturas. Rursus, si unigenitus est, quomodo fit ipse viarum principium? Nam si principium omnium ipse est creatus, necesse est non jam amplius unum esse, quippe qui alios post se habeat. Siquidem Ruben qui principium fuit filiorum, non unigenitus erat, sed aetate quidem erat primus, natura autem et cognatione unus illorum erat, qui post ipsum nati fuere. Igitur si Verbum principium est viarum, tale profecto est quales sunt viae: "et vicissim tales sunt viae quale ipsum est Verbum, licet tempore primum illarum creetur". (S. Athan., *Or. II contra Arian.*, nn. 44-48, *PG*, 26, 240...).

Rursus autem in hoc textu loqui Sapientiam incarnatam probat novo argumento: "Nec enim Dei Verbum res est creata, sed creator ipse est: tunc autem proverbii instar ait: Dominus (Κόριος) creavit me, cum creatam induit carnem. ut etiam ex hoc ipso loco potest intelligi. Tametsi enim Filius est, et Deum habet Patrem, cum proprius ejus sit fetus: tamen Patrem hoc in loco Dominum appellavit, non quia servus esset, sed quia servi formam accepit. Quippe quemadmodum, quatenus Verbum est ex Patre, Deum convenienter Patrem appellat: namque id proprium filii est erga patrem: ita cum opus venit absoluturus, et servi formam accepit, Patrem Dominum dicere eum omnino decuit. Hujusmodi porro discrimen suos ipse discipulos distincte admodum hisce Evangelii verbis docuit: *Confiteor tibi, Pater*; deinde: *Dominus caeli et terrae*, Mt. 11, 25. Namque et Deum sui ipsius Patrem esse testatur, et eundem rerum creatarum Dominum appellat: ita ut ex hoc loco perspicuum sit eum, cum naturam creatam accepit, tunc Patrem appellasse Dominum..." (n. 50, *PG*, 26, 258).

Deinde vero hoc idem probat ex illis verbis: in opera sua: "Res enim creatae primo ac praecipue ea de causa sunt factae ut sint et existant, secundo vero habent ut agant quaecumque imperaverit Verbum, ut in omnibus licet perspicere. Siquidem Adam creatus est, non ut ageret, sed ut primum esset homo; nam postea agendi praeceptum accepit. Noe similiter... Etenim magnus ille Moyses primum factus homo est, deinde populi imperium illi est concreditum. Idem ergo hic pariter licet intelligere. Vides enim Filium non creari ut sit: sed *in principio* quidem *erat Verbum*, Jo. 1, 1, postea vero in opera eorumque administrationem mittitur. Etenim antequam facta essent opera, semper erat Filius, necdum tamen necesse erat eum creari. Postquam autem creata sunt opera, ac deinde administratione ad illa restauranda opus fuit: tunc etiam seipsum obtulit

Verbum, eoque sese demisit, ut operum simile fieret: quod utique per vocem, creavit, nobis voluit significare. Simile item aliquid per Isaiam prophetam his verbis docet: *Et nunc haec dicit Dominus, qui me ex utero servum sibi formavit, ut Jacob et Israel ad ipsum congregarem, congregabor et glorificabor coram Domino*, Is. 41, 5. Ecce etiam hic non ut esset formatur, sed ut tribus congregaret, quae antequam ipse formaretur existebant. Nam ut illic scriptum est, *creavit*, ita hic, *formavit*, dicitur; et ut illic additur, *in opera*, ita hic sequitur, *ut congregarem*. Quocirca clarissimum undelibet est, nonnisi posterius quam fuerit Verbum, haec verba, *creavit*, et *formavit*, de illo enuntiari. Nam quemadmodum antequam Filius formaretur, tribus existebant, propter quas formatus ipse est: sic etiam opera, quorum causa creatus est, prius patet existitisse. Praeterea cum in principio esset Verbum, nondum, ut dixi, erant opera; cum autem facta sunt opera, et exegit necessitas, tunc dictum est, *creavit...*

Haec autem eadem postea explicat, hoc modo: "Quippe decuit ipsum, qui alius ab operibus, imo qui creator illorum erat, eorum quoque in se suscipere renovationem: ut ipse nostri causa creatus, omnia in seipso recrearet ac reficeret. Hinc ubi dixit, *creavit*, statim causam, nempe, *opera*, addidit, ut scilicet his verbis, *in opera creari*, significaretur illum hominem fieri ad ipsa opera instauranda. Namque ea est consuetudo Scripturae divinae, quae quoties de Verbi ortu secundum carnem loquitur, causam subjungit propter quam homo factus est. Cum autem vel ipse vel ejus famuli de ejus divinitate verba faciunt; omnia simplici dictione absolutaque sententia, et nulla implicita causa proferuntur. Nempe Patris est splendor; ut autem Pater non est ob aliquam causam, ita nec ejus splendoris causa est inquirenda. Itaque scriptum est: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, Jo., 1, 1: cujus quidem rei nulla affertur causa. Cum autem *Verbum caro factum est*, Jo., 1, 14, tunc causa propter quam factum est, his verbis indicatur: *Et habitavit in nobis*. Similiter Apostolus cum ait: *Qui cum in forma Dei esset*, Philip., 2, 6, causam non protulit nisi post haec verba: *formam servi accepit*: tunc enim subjecit: *Humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis*, Philip., 2, 7-8. Haec enim causa est cur Verbum caro factum est et servi accepit formam" (n. 53, PG, 26, 260).

Eadem vero novis rationibus declarat: "Itaque idcirco venit Salvator ut testimonium perhiberet, et mortem pro nobis susciperet, hominesque ad vitam revocaret, ac diaboli opera dissolveret. Haec causa est cur carne assumpta ad nos advenerit. Non enim esse potuisset resurrectio, nisi mors antecessisset. Quomodo vero mors antecessisset nisi mortale habuisset corpus? Id sane ab eo didicerat Paulus, cujus nempe haec sunt verba: *Quia ergo pueri sanguinis et carnis participes facti sunt, ipse quoque similiter eorumdem particeps fuit, ut per mortem, diabolus qui mortis imperium habet, destrueret, et liberaret eos*

qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti, Hebr. 2, 14-15... Joannes vero scribit: *Nec enim misit Deus Filium suum in mundum ut judicet mundum, sed ut mundus per ipsum salvetur*, Jo. 3, 17. Rursus quoque per seipsum ita locutus est Salvator: *Ego in iudicium in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, et qui vident caeci fiant*, Jo. 9, 39. Non ergo propter seipsum venit, sed propter nostram salutem, necnon ut mortem destrueret, peccatum condemnaret, caeci viderent, omnesque e mortuis excitarentur. Quod si non propter seipsum sed propter nos venit: non igitur sui sed nostri causa creatur; non igitur ipse est creatus, sed nostra assumpta carne haec ille ait. Quod autem is sit Scripturarum sensus licet ab Apostolo discere, qui Epistola ad Ephesios ita scribit: *Qui medium septi parietem diruit, cum inimicitiam in carne sua legem mandatorum in decretis abrogavit, ut duos crearet in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem*, Eph. 2, 14-15. Quod si duo in illo creantur, qui et sint in ipsius corpore: non immerito igitur, duos in se ferens, ipse quoque quasi creatus est. Namque creatos in seipso conjunxit, et ipse in illis erat, veluti illi. Sic porro duobus in illo creatis dicere maxime ei convenit: *Dominus creavit me...*

Nam si ut illi sentiunt, quasi natura Verbi creata esset, dicit, *Dominus creavit me*, utpote qui sit creatus: sane non propter nos creatus erit dicendus. Si vero ille propter nos non est creatus: in ipso non creati sumus: quod si in illo creati non sumus, eum igitur non in nobis sed extra nos haberemus, ut si nimirum doctrinam ab eo tanquam a magistro accepissemus. Quod si ita de nobis se res habet, procul dubio carnis peccatum, nihilominus quam antea, regnare perseverat, nec ex illa expulsam est. Verum his adversatur Apostolus, qui paulo ante ita ait: *Ipsius enim opus sumus creati in Christo Jesu*, Eph. 2, 10. Si ergo nos in Christo creati sumus, non igitur ille est qui creatur, sed nos ipsi sumus qui in illo creamur, nostrique causa vox illa, *creavit*, scripta est. Nam nostram ob necessitatem Verbum, etiamsi sit creator, vocem tamen rerum creatarum non renuit nec ista vox ejus propria est, quatenus est Verbum, sed nostrum est istud vocabulum, *creavit*, qui nempe in eo creamur... Hinc etiam causa cur hujusmodi dictio, *creavit*, adhibeatur, adjuncta est, quae nempe operum est necessitas. Ubi porro adjecta causa est, ea lectionis difficultatem penitus tollit. Namque hic causam, cur vox, *creavit*, sit adhibita, opera assignat. At cum de ejus ex Patre generatione sermo habetur, mox subditur: *Ante omnes colles gignit me*, Prov. 8, 25. Causa utique hic non additur, ut in voce, *creavit*, ubi subjungitur, in opera: sed absolute dicitur: *gignit me*, ut et illud: *In principio erat Verbum*, Jo. 1, 1. Nam etiamsi nulla fuissent creata opera, nihilominus Verbum Dei erat, et Deus erat Verbum. Ipsum autem Verbum nequaquam homo factus esset, nisi causa fuisset hominum necessitas" (nn. 55, 56, PG, 26, 261...).

Asserit igitur has duas voces, creare, et gignere diversa significare, et inter se quodammodo opponi, neque idem esse rem creatam et genitam. Quoniam au-

tem etiam homines ex Deo geniti vel nati dici possunt, quomodo haec hominibus conveniant, declarat: "Deus enim non tantum homines creavit, sed etiam filios vocavit, tanquam si illos genuisset. Nam vox, genuit, filium indicat, uti per prophetiam dicit: *Filios genui et exaltavi*. Is. 1, 2. Quocirca quoties Scriptura de Filio loquitur, non vocem, creavi, usurpat, sed vocem, genui. Id videtur Joannes his verbis significare: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomen ejus, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo geniti sunt*: quae verba e re fuerit observare. Siquidem verbum, fieri, adhibet quia non natura, sed adoptione filii esse dicuntur: dictione autem: *geniti sunt*, usus postea est, quia illi quoque nomen filii acceperunt. Sed populus, ut ait propheta, Is. 1, 3, repulit benefactorem. Haec est autem Dei benignitas, quod quorum effector est, horum etiam pater gratia postea fiat, quod tunc contingit cum creati homines, ut ait Apostolus, Gal. 4, 6, Spiritum Filii ejus clamantem: *Abba, Pater*, in suis cordibus, suscipiunt. Hi porro sunt qui, suscepto Verbo, potestatem ab eo accipere filios Dei fieri. Nec enim alio modo filii possunt fieri cum ex natura sua sint creati, nisi Spiritum ejus qui naturalis et verus est Filius acceperint. Quod ut fieret, *Verbum caro factum est*, Jo. 1, 14, ut hominem ad divinitatem recipiendam idoneum redderet...

Quod autem non idem sit res creata et genita, sed inter se et natura et verborum significatione differant, ipse Dominus in iisdem Proverbiis declarat. Nam postquam dixit: *Dominus creavit me initium viarum suarum*, subdidit: *Ante omnes colles gignit me*. Quod si Verbum natura et substantia creatum esset, nihilque rem genitam inter et creatam differret, non subjunxisset *gignit me* sed satis habuisset dictionem, *creavit*, usurpare, quippe quae idem ac, *genuit*, significaret. Verum ubi dixit: *Creavit me initium viarum suarum in opera sua*, non simpliciter addidit *genuit me*, sed cum conjunctione *vero*, ut hoc modo dictionem, *creavit*, confirmaret, cum dicit: *Ante omnes vero colles gignit me*. Nam verbum, *creavit*, cum vocabulo, *gignit me*, conjunctum, unam perficit sententiam, indicatque aliam ob causam dictum esse, *creavit*. ut et, *gignit me*, esse ante, *creavit*... Namque dicendo, ante omnes vero *gignit me*, alium ab omnibus esse declarat, cum ex supra dictis constet, nullam ex rebus creatis prius altera factam esse, sed res omnes factas uno eodemque mandato simul exstitisse. Hinc nec eadem adjuncta sunt dictionibus, *creavit*, et *gignit me*: sed post, *creavit*, additur, *principium viarum*: at non dixit: *principium gignit me*, sed, *ante omnes gignit me*...

Quapropter cum id discriminis intercedat inter, *creavit*, et *gignit me*, atque, *principium viarum*, et, *ante omnes*, concludendum est Deum qui hominum creator est, per suum Verbum, quod in illis habitat, eorundem Patrem postea fieri. De Verbo autem contraria omnino est ratio. Siquidem Deus qui Verbi Pater natura est, ejus post haec creator et effector factus est, cum scilicet Ver-

bum creatam et factam carnem induit, et homo factus est. Nam sicut homines, Spiritu Filii accepto, filii per ipsum efficiuntur: ita Dei Verbum cum humanam carnem induit, tunc et creari et factum esse dicitur... Deinde quando quidem creato corpore assumpto nostri secundum corpus similis factus est, ideo non immerito et frater noster et primogenitus appellatus est. Nam tametsi post nos homo propter nos factus est, ac proinde frater noster ob corporis similitudinem: verum ea ratione dicitur et est noster primogenitus, quatenus omnibus hominibus, Adae peccato perditis, ejus caro, utpote Verbi corpus facta, prima omnium servata est et liberata, indeque nos, ut qui cum Verbo corpore sumus conjuncti, per idem ejus corpus salvi efficimur. In illo siquidem nobis Dominus ad regnum caelorum et ad suum Patrem se ducentem praebuit, cum ait: *Ego sum via et janua, ac per me omnes introire oportet*, Jo. 10, 7-9; 14, 6. Quapropter primogenitus ex mortuis dicitur, non quod primus nostrum mortuus est, nos enim prius mortui fueramus: sed quia morte pro nobis suscepta et destructa, primus ut homo, vixit, cum suum corpus pro nobis ex mortuis excitavit" (n. 59-61, PG, 26, 272...).

Explicat deinde in quo sensu Verbum vel Christus dicatur *Unigenitus*, et in quo sensu *primogenitus*: "Quod si *primogenitus creaturae* dicitur, Coloss. 1, 15: non veluti rerum creaturarum aequalis, aut iisdem prior tempore, hoc appellatur nomine (qui enim fieri posset, cum ipse sit *Unigenitus*?): sed ob singularem Verbi erga res creatas benignitatem, qua etiam multorum factus est frater. Siquidem is *unigenitus* dicitur, cui nulli alii sunt fratres: is autem dicitur *primogenitus*, cui alii sunt fratres. Hinc nullo in loco Scripturarum legitur *primogenitus Dei*, aut *creatura Dei*: sed ista, *Unigenitus*, *Filius*, *Verbum*, et *Sapientia*, ad Patrem referuntur, ad quem tanquam quid proprium pertinent: "*Vidimus enim gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*, Jo. 1, 14: et: *Misit Deus Filium suum Unigenitum*, I Jo. 4, 9: et: *In saeculum, Domine, Verbum tuum permanet*: Et: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum*, Jo. 1, 1... Si ergo *Unigenitus* est uti revera est, vox ista, *primogenitus*, est sane explicanda. Sed si *primogenitus* est, *Unigenitus* dici non debet. Idem enim non potest *Unigenitus* et *primogenitus* esse, nisi ad diversa respiciat, ita ut *Unigenitus* quidem dicatur, quatenus ex Patre genitus est, quemadmodum dictum est: *primogenitus* vero, quatenus singulari erga creatam naturam benignitate usus est, multosque sibi fratres reddidit. Certe, cum duo illa nomina inter se sint contraria, haud immerito possit affirmari nomen *Unigeniti* proprie magis Verbo convenire quandoquidem nullum aliud est Verbum, nulla alia Sapientia, sed solus ipse verus est Patris Filius. Etenim, ut supra observavimus, nulla adjuncta causa, sed absolute de illo dictum est: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris*, Jo. 1, 18. At cum *primogenitus* dicitur, causa annectitur, creata nempe natura, ut Paulus ipse his indicat verbis: *Quia in ipso creata sunt omnia*, Coloss. 1, 16. Si porro

universae res creatae, in illo sunt creatae, alius certe est a rebus creatis, nec ipse est res creata, sed rerum creatarum creator.

Non ergo primogenitus vocatus est, quia ex Patre est genitus, sed quia in illo factae sunt res creatae. Quocirca quemadmodum ante res creatas ipse erat Filius per quem res creatae factae sunt: ita antequam primogenitus omnium rerum creatarum dictus est, nihilominus ipsum Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum”.

Inferius vero ad hoc idem probandum novum textum adducit: “Namque ita scriptum est: *Cum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.* Audiant Christi inimici, seque ipsi discerpant, quod nimirum ejus in orbem terrarum ingressus, causa est cur omnium primogenitus sit appellatus. Quocirca Patris quidem Unigenitus est Filius, quoniam solus ipse ex illo est: est autem rerum creatarum primogenitus, quia omnes adoptione filii efficiuntur. Ut porro inter fratres primogenitus est, idemque ex mortuis, *primitiae eorum qui dormierunt*, I Cor. 15, 20, revixit: ita quia eum in omnibus primum locum decebat obtinere, ideo etiam *principium viarum* creatur” (nn. 62-64, PG, 26, 277...).

Explicat deinde in quo sensu *principium viarum* dicatur: “Cum igitur ipsa declaret veritas Verbum natura non esse creatum, consequens est ut jam explicemus, quare principium viarum appellatum fuerit. Nempe quoniam perierat prima per Adam via, nec amplius in paradysum tendebamus, sed ad mortem deflexeramus audieramusque: *Terra es, et in terram revertentis*, Gen. 3, 19, idcirco clementissimum Dei Verbum, volente Patre, creatam carnem induit, ut quam primus homo, violata lege, morte affecerat, eidem, sui corporis sanguine, vitam redderet, nobisque *viam novam et viventem per velamen*, ut ait Apostolus, Hebr. 10, 20, id est, per carnem suam innovaret. Quod idem alibi huius verbis significat: *Si qua in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce omnia nova facta sunt*, 2 Cor. 5, 17. Si porro nova creatura facta est, sane inter novae has res creatas primum aliquem esse oportuit: atqui merus homo et tantummodo terrestris, quales nos post violatam legem facti sumus, is esse non poterat. Namque in prima creatione infideles facti sunt homines, ac per eos prima illa perierat creatura, et proinde opus alio erat qui et primam renovaret, et novam effectam conservaret. Itaque non aliquis alius sed Dominus mira benignitate principium novae creaturae creatur via, unde jure merito ait: *Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua*, Prov. 8, 22, ut non jam secundum prioriam illam vivat homo, sed ut existente jam principio novae creaturae, Christumque ejus viarum principium habentes, ipsum deinceps sequamur dicentem: *Ego sum via*, Jo. 14, 6. Id ipse beatus Apostolus Epistola ad Colossenses; his verbis docet: *Ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens*, Coloss. 1, 18.

Namque si uti dictum est, ob resurrectionem ex mortuis ipse principium

appellatur: tunc autem facta est resurrectio, cum nostra indutus carne se ipse pro nobis morti tradidit: planum utique fuerit his ejus verbis: *Dominus creavit me initium viarum*, non ipsius naturam sed corporeum adventum significari. Mors enim ejus fuit propria corporis, ac proinde quemadmodum mors est corporis propria, ita corporeae praesentiae propria sunt illa verba: *Dominus creavit me initium viarum suarum*. Cum enim Salvator hac ratione secundum carnem creatus sit, eorumque qui recreantur factus fuerit principium ac nostrum habeat primitias, humanam scilicet carnem quam assumpsit; convenienter post ipsum futurus creatur populus, de quo ait David: *Scribantur haec in generationem alteram, et populus qui creabitur, laudabit Dominum*, Ps. 101, 19: et rursus psalmo vicesimo primo: *Annuntiabitur Domino generatio ventura, et annuntiabunt justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus*, Ps. 21, 32... Praeterea postquam opus Dei, id est homo, perfectus creatus, praevericatione inops effectus est, et peccato mortuus; cum item dedecet Dei opus imperfectum remanere,... idcirco perfectum Dei Verbum, corpus imperfectum induit; atque in opera creari dicitur, ut pro nobis debito soluto, ea quae homini deerant, per seipsum expleret atque perficeret. Deerant autem homini immortalitas et via ad paradysum. Hoc ipsum Salvator his verbis indicat: *Ego te glorificavi in terra: opus perfeci quod faciendum mihi dedisti*, Jo. 17, 4. Et iterum: *Opera quae Pater mihi perficienda dedit: ipsa opera quae facio, testimonium perhibent de me*, Jo. 5, 36. Opera porro quae sibi Patrem perficienda dedisse declarat, ipsa illa sunt in quae creatur, ut in Proverbiis ait: *Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua*. Nam idem est dicere: dedit mihi Pater opera, et: creavit me Dominus in opera.

...Itaque jam restat ut fateamur tunc accepisse opera cum homo factus est. Siquidem tunc illa perfecit, cum nostra sanavit vulnera, nobisque ex mortuis resurgere concessit. Quod si cum Verbum caro factum est, tunc ei data sunt opera, liquet ipsum, cum homo factus est, tunc quoque in opera esse creatum. Non ergo hoc verbo, *creavit*, ejus natura significatur, uti saepius dictum est, sed ortus ipsius corporeus" (n. 65-67, PG, 26, 289...).

Similiter explicat illa alia verba: *Ante aevum fundavit me*, Prov. 8, 23: "Scriptum est *Dominus sapientia fundavit terram*, Prov. 3. Si igitur sapientia terram fundavit, qui fieri potest ut is qui fundat fundetur. Verum id etiam proverbii instar dictum est, ejusque nobis quaerenda significatio est, ut cognoscamus Patrem sapientia creare et fundare terram, ut firma et stabilis permaneat; ipsam vero sapientiam nostri causa esse fundatam, ut videlicet nostrae novae creationis et renovationis principium fieret et fundamentum... Porro necesse est ut tale sit fundamentum, qualia sunt quae super ipsum aedificantur, ut inter se possint apte congruere. Atqui ut Verbum, tales, qualis et ipse est, qui secum convenienter habere non potest, quippe cum sit unigenitus. At factus homo similes habet, quorum videlicet similem carnem assumpsit. Itaque secundum naturam:

humanam fundatur, ut et nos tanquam lapides pretiosi super ipsum aedificari possimus, et templum efficiamur sancti Spiritus in nobis habitantis. Ceterum ut ipse fundamentum est, nos autem sumus qui super ipsum aedificamur: ita etiam idem ipse vitis est, nos autem veluti palmites cohaerentes, non quidem secundum divinitatis naturam, nam hoc fieri nequit, sed secundum naturam humanam (necesse enim est vitis similes esse palmites), quia nos scilicet secundum carnem similes illius sumus... Porro quod fundatur, lapidibus super ipsum projectis fundatur, quod quidem non quovis modo perficitur, sed cum lapis e monte translatus, in imis terris collocatur. Nam quamdiu lapis est in monte, nondum positus est in fundamentum. Cum vero exigente causa, translatus fuerit, et terrae profundo coopertus, tunc si vox lapidi daretur, haec utique posset dicere: Qui me huc transtulit, nunc fundavit me. Igitur ipse quoque Dominus, non tunc esse cepit, cum fundatus est (siquidem antea erat Verbum), sed postquam nostrum induit corpus, quod ex Maria desectum accepit, tunc dixit: *Fundavit me*: quod idem est ac si diceret: Me qui sum Verbum: terreno corpore cooperuit. Sic enim ille, qui nostra suscipit, nostri causa fundatur, ut nos, qui simile habemus corpus, carnis similitudine in illo aptati, et colligati, in virum perfectum occurramus, Eph. 4, 13, immortalesque et incorrupti maneamus.

Nemo vero his etiam loquendi modis conturbetur: *Ante aevum*, et, *Priusquam terram faceret*, et, *Antequam montes collocarentur*, Prov. 8, 23-25. Recte enim ista conjunxit cum verbis, *fundavit*, et, *creavit*. Namque haec ejus secundum carnem dispensationem spectant. Etenim gratia quae nobis a Salvatore donata est, modo quidem apparuit, ut ait Apostolus, Tit. 2, 11, exortaque est postquam ipse advenit: verum antequam nos nasceremur, vel potius ante mundi constitutionem praeparata fuit, cujus haec causa et recta est et admiranda. Deum de nobis posterius deliberare minime decebat, ne res nostras ignorare videretur. Quocirca cum nos rerum universarum Deus per proprium Verbum crearet, et ea quae ad nos pertinent, supra nos prospiceret, praenosceretque nos postquam boni facti fuisset, legem violaturos, atque idcirco e paradiso expellendos: ille qui perhumanus et benignus est, in proprio Verbo, per quod nos creavit, nostrae salutis dispensationem praeparavit, ut videlicet etiamsi contingeret ut a daemone circumventi caderemus, ne mortui penitus remaneremus, sed ut redemptionem et salutem in Verbo nobis praeparatam habentes, revivisceremus et immortales essemus, postquam ipse pro nobis principium est creatus, et qui creaturae primogenitus est, fratrum factus fuit primogenitus, et ipse, mortuorum primitiae, revixit. Haec ipsa est beati apostoli Pauli doctrina, qui illa Proverbiorum verba, *ante aevum*, et, *antequam terra fieret*, ita in Epistola ad Timotheum interpretatur: *Collabora Evangelio secundum Dei virtutem, qui salvos non fecit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum proprium propositum et gratiam, quae nobis data est in Christo Jesu ante aeterna tempora, et nunc apparuit per adventum Salvatoris nostri Jesu Chri-*

sti, qui mortem quidem destruxit, vitam autem illuminavit, 2 Tim. I, 8-10. Et ad Ephesios: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nobis in omni benedictione spirituali, in caelestibus, in Christo Jesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate, qui praedestinavit nos in adoptionem per Jesum Christum in ipsum*, Ephes. I, 3-5.

Quomodo ergo nos elegit antequam essemus, nisi, ut ipse dixit, in ipso fuissimus praesignati?... Vel quomodo, ut subjicit Apostolus, *sorte sumus praedestinati*, Ephes. I, II, nisi ipse Dominus ante aevum fundatus fuisset, ita ut ipsi propositum fuerit omnem judicii adversum nos lati sortem carne suscipere, quo nos deinceps filii in ipso efficeremur? Quomodo item nos, qui nondum eramus, sed tempore exstitimus, ante aeterna tempora accepimus, nisi gratia, quae ad nos pervenit, in Domino fuisset reposita? Hinc ille in judicio, cum unusquisque pro suis factis mercedem est accepturus, dicet: *Venite, benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*, Mt. 25, 34. Quomodo igitur, vel in quo, antequam essemus, paratum est, nisi in Domino, qui ante aevum eam ob causam fundatus est, ut nos super ipsum tanquam aedificati, vitae et gratiae quae ab illo oritur velut apti lapides, participes essemus..." (n. 73-76, PG, 26, 302...).

His autem omnibus aliam etiam interpretationem adjungit, qua illa Verba Proverbiorum explicat de sapientia creata seu de sapientia quae in rebus creatis effusa dicitur: Haec enim ait: "Unigenita igitur ipsaque Dei Sapientia, omnium creatrix est et effectrix. *Omnia enim, inquit, in sapientia fecisti*, et: *Impleta est terra creatione tua*, Ps. 103, 24. Ut autem res factae non tantum exsisterent, sed etiam bene exsisterent, placuit Deo ut sua Sapientia se ad res creatas accommodaret, ut formam speciemque aliquam ipsius imaginis cum in omnibus simul tum in singulis imprimeret, quo nimirum perspicuum fieret et sapientia ornatas esse res factas, et digna Deo esse opera. Ut enim nostrum Verbum, Verbi, qui Dei est Filius est imago: ita sapientia in nobis facta ejusdem Verbi, quae ipse est Sapientia, imago quoque est, in qua cum vim sciendi et intelligendi habeamus, idonei efficimur qui creatricem Sapientiam recipiamus, ejusdemque Patrem per ipsam possumus cognoscere. Nam *qui habet Filium, inquit, habet et Patrem*, I Jo. 2, 23, et: *Qui me recipit, recipit eum qui misit me*, Mt. 10, 40. Quoniam ergo hujusmodi Sapientiae forma creata in nobis et in omnibus est, non immerito vera et opifex Sapientia ea quae suae formae propria sunt sibi ipsi asciscens ait: *Dominus creavit me in opera sua*. Quippe ea quae sapientia quae in nobis est loquitur, haec ipse Dominus tanquam propria usurpat. Quocirca non ille creatur qui creator est, sed propter suam imaginem in ipsis operibus creatam, ista velut de se ipse ait...

Verumtamen si his fidem habere noluerint, ipsi nobis respondeant, utrum in rebus creatis aliqua sit sapientia, vel non? Si nulla sit quare Apostolus his

verbis conqueritur: *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum?* 1 Cor. I, 21. Vel si nullo est sapientia, cur multitudo sapientum in Scriptura memoratur?... Quod si in rebus creatis est sapientia, ut hisce verbis testatur filius Sirach: *Effudit illam in omnia opera sua cum omni carne secundum donationem suam, et praebeuit illam diligentibus se*, Eccli. I, 10, quae quidem effusio minime significat naturam Sapientiae quae per se ipsa est atque unigenita, sed illius quae expressa in mundo est: quid ergo incredibile videtur, si ipsa opifex et vera Sapientia cujus forma seu figura est sapientia ac scientia quae in mundum effusa est, tanquam de se ipsa dicat: *Dominus creavit me in opera sua*. Nec enim sapientia quae in mundo est, creatrix est sed in operibus est creata, secundum quam: *Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum*, Ps. 18, 2. Eam si homines in seipsis habuerint, veram Dei sapientiam agnoscent, patebitque illos ad imaginem Dei factos esse...

Nec vero mirum videatur, si Filius Dei de sua quae in nobis est figura, tanquam de seipso loquatur, cum (idem repetere nihil est reformidandum) Saulo Ecclesiam, in qua ejus figura et imago erat, persequente, quasi ipse esset quem ille persequeretur, dixerit: *Saule quid me persequeris?* Act. 9, 4. Ut ergo nemini mirum videretur, uti diximus, si sapientiae forma, quae in operibus est, diceret: *Dominus creavit me in opera*, ita si ipsa vera et creatrix Sapientia, quod et unigenitum Dei est Verbum, ea quae suae propria sunt imaginis usurpaverit, ac velut de seipsa dixerit: *Creavit me in opera*, nemo, dimissa sapientia, quae in mundo et operibus creata est, arbitretur verbum istud, *creavit*, de natura Sapientiae, quae per se ipsa est dictum esse, ne vinum cum aqua miscens, Is. I, 22, veritatem subripere videatur. Namque illa creatrix et opifex est Sapientia: ejus autem forma in operibus creatur tanquam imaginis similitudo. Hujusmodi porro sapientia *principium viarum* esse dicitur, quia quoddam est principium et elementum cognitionis Dei...” (n. 78-80, PG, 26, 312...).

Tandem ita concludit: “Itaque universa terra cognitione ejus repleta est. Siquidem una est Patris per Filium, et Filii ex Patre cognitio: ipso gaudet Pater, eodemque gaudio Filius in Patre delectatur dicens: *Ego eram quo delectabatur, per singulos dies in conspectu ejus delectabar*, Prov. 8, 30. Haec procul dubio rursus probant Filium non alienum, sed proprium naturae Patris esse. Ecce enim non propter nos, ut impii dicitant, factus est, neque omnino e nihilo est, neque Deus sibi auctorem gaudii comparavit extrinsecus; sed illae voces aliquid quod proprium sit et simile significant. Quando ergo contigit ut Pater non gauderet? Quod si semper gavisus est, semper fuerit necesse est is in quo gaudebat. In quo porro gaudet et laetatur Pater, quam cum se ipse cernit in propria imagine, quae Verbum suum est? Quod si etiam post perfectum mundum filiis hominum delectabatur, ut ibidem scriptum est, nec id utique alio modo intelligendum est. Ita enim delectabatur, non quasi gaudium ipsi accidisset, sed quatenus opera ad suam imaginem facta intuebatur. Illa proinde Dei oblectatio

suam imaginem causam habet. Et ipse vero Filius an alio oblectatur modo, quam cum se ipse in Patre contemplatur?...” (n. 82, PG, 26, 320).

Ex his omnibus erui jam quodammodo potest, quatenam sit sententia S. Athanasii de textu illo Proverbiorum. Sapientia divina seu Verbum Dei nullo modo creatum aut factum dici potest. Neque admittenda est attenuatio illa vel simulatio, qua dicebant Ariani, illud esse creatum sed non ut unam e rebus creatis; quandoquidem res creatae non omnes sunt aequalis perfectionis, neque una est sicut alia; quare si Verbum esset creatum, tandem aliquando eundem, haberet ordinem qualem inter se habent res ceterae.

Itaque Verbum Dei nullo modo est creatum, sed est creator, ut ex multis sacrae Scripturae locis probatur. Quae enim Pater facit, eadem et Filius facit, at se ipse creare non potuit, ut planum est. Ergo Filius non est creatus, sed Creator.

Illa vero verba Proverbiorum: Dominus creavit me, in primis cum in Proverbiis scripta inveniantur, proverbialiter, seu proverbiorum more intelligenda sunt. Vox illa, *creavit*, intelligenda est in sensu quodam lato, et sic explicanda, ut nihil contrarium vocabulo, *genuit*, dicat; intelligenda autem est, non de natura Verbi ac de ejus aeterna generatione ex Patre, sed de ejus incarnatione et de humanitate ab eo suscepta. Nam dictio, *creavit*, non necessario naturam vel ortum significat, sed aliquid aliud circa rem de qua loquitur, fieri innuit, sicut liquet ex Davide dicente: *Cor mundum crea in me, Deus*, Ps. 50, 12. Hic ergo vox, *creavit*, sicut in verbis illis Joannis: *Verbum caro factum est*, Jo. 1, 14, significat, non totum Verbum creaturam esse, sed creatum induisse corpus, Deumque pro nobis ipsum creasse, et illi creatum corpus nostri causa perfecisse. Propter hoc Proverbia, quae dictionem *creavit*, habent, Filium non creatum sed genitum esse dicunt, et illum agnoscunt Sapientiam esse unigenitam et rerum creaturarum opificem, quod quidem naturae Filii proprium est. Cum autem vocem, *creavit*, usurpant, non de ejus loquuntur natura, sed eum *multarum viarum principium* fieri significant. At si genitus est non potest esse creatus; nemo enim quae creat gignere dicit. Rursus si unigenitus est, non potest esse viarum principium. Nam si principium omnium ipse est creatus, necesse est non jam amplius unum esse, quippe qui alios post se habeat. Haec igitur non de natura ipsius Verbi, sed de ejus incarnatione intelligenda sunt.

Hoc autem ex ipso textu Proverbiorum multipliciter probatur. Nam Verbum, tunc proverbii instar ait: Dominus creavit me Κύριος ἔκτισέ με cum creatam induit carnem. Tametsi enim Filius est, et Deum habet Patrem, cum proprius ejus sit fetus: tamen Patrem hoc in loco Dominum appellavit, non quia servus esset, sed quia servi formam accepit. Sicut enim, quatenus Verbum est ex Patre, Deum convenienter Patrem appellat, ita cum opus venit absoluturus, et servi formam accepit, Patrem Dominum dicere eum decuit.

Praeterea, dicit: *Dominus creavit me principium viarum suarum in opera*

sua. At res creatae primo ac praecipue hac de causa factae sunt ut existant, secundo vero habent ut agant quaecumque imperaverit Verbum, sicut patet in Adam, in Noe, in Moyse, qui primum factus homo est, deinde populi imperium illi est conceditum. Sic etiam Filius non creatus est, sed *in principio erat Verbum*, Jo. 1, 1, postea vero in opera eorumque administrationem mittitur. Antequam enim essent opera semper erat Filius, nondum tamen necesse erat eum creari, sed postquam creata sunt opera, tunc ille, qui creator erat eorum in se suscepit renovationem: ut ipse nostri causa creatus, omnia in seipso recrearet ac reficeret.

Praeterea illum in opera creari, significat illum hominem fieri. Nam Scriptura divina, quoties de Verbi ortu secundum carnem loquitur, causam subjungit propter quam homo factus est; cum autem vel ipse vel ejus famuli de ejus divinitate verba faciunt, omnia simplici dictione absolutaque sententia, et nulla implicita causa proferuntur. Sic scriptum est: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, Jo. 1, 1, cujus quidem rei nulla affertur causa. Cum autem Verbum caro factum est, tum causa propter quam factum est, his verbis indicatur: *Et habitavit in nobis*, Jo. 1, 14.

Insuper, venit Salvator, ut testimonium perhiberet, et mortem pro nobis susciperet, hominesque ad vitam revocaret, ac diaboli opera dissolveret, et ipse, ut ait Apostolus, *medium septi parietem diruit, cum inimicitiam in carne sua, legem mandatorum decretis abrogavit, ut duos crearet in semetipso in unum novum hominem faciens pacem*, Eph. 2, 14, 15. Quod si duo in illo creantur, non immerito igitur, duos in se ferens, ipse quoque quasi creatus est. Nam si natura Verbi creata esset, sane non propter nos creatus erit dicendus. Si vero ille propter nos non est creatus: in ipso non creati sumus; at his adversatur Apostolus dicens: *Ipsius enim opus sumus, creati in Christo Jesu*, Eph. 2, 10. Si ergo nos in Christo creati sumus, non igitur ille est, qui creatur, sed nos ipsi sumus qui in illo creamur.

Hinc etiam cur hujusmodi dictio, *creavit* adhibeatur, causa adjuncta est, videlicet operum necessitas. At cum de ejus ex Patre generatione sermo habetur, mox subditur: *Ante omnes colles gignit me*, Prov. 8, 25. Causa utique hic non additur, ut in voce, *creavit*, ubi subjungitur, in *opera*: sed absolute dicitur: *gignit me*, ut et illud: *In principio erat Verbum*, Jo. 1, 1.

Praeterea hae duae voces, *creari*, et *gigni*, diversa significant et inter se opponuntur. Nam vox, *genuit*, filium indicat, et quoties Scriptura de Filio loquitur, non vocem, *creavit*, usurpat, sed vocem, *genuit*. At ubi dixit: *Creavit me initium viarum suarum in opera sua*, non simpliciter addidit, *genuit me*, sed cum conjunctione, *vero*, ut hoc modo dictionem, *creavit*, confirmaret, cum dicit: *Ante omnes vero colles gignit me*. Nam verbum, *creavit*, cum vocabulo, *gignit me*, conjunctum, unam perficit sententiam, indicatque aliam ob causam dictum esse, *creavit*, ut et, *gignit me* esse ante, *creavit*.

Similiter inter unigenitum et primogenitum est oppositio. Nam unigenitus dicitur, cui nulli alii sunt fratres: primogenitus vero, cui alii sunt fratres. Quare cum Filius vere Unigenitus dicatur et sit, vox illa primogenitus explicanda est. Idem enim non potest unigenitus et primogenitus esse, nisi ad diversa respiciat, ita ut Unigenitus quidem dicatur, quatenus ex Patre genitus est: primogenitus vero, quatenus singulari erga creatam naturam benignitate usus est, multosque sibi fratres reddidit.

In eodem sensu *principium viarum* dicitur. Nam quoniam perierat prima per Adam via, nec amplius in paradysum tendebamus, sed ad mortem deflexeram, idcirco clementissimum Dei Verbum, volente Patre, creatam carnem induit, ut quam primus homo, violata lege, morte affecerat, eidem sui corporis sanguine, vitam adderet, nobisque viam novam et viventem per velamen, Hebr. 10, 20, id est, per carnem suam innovaret. Ipse igitur Christus est nobis via qui dicit: *Ego sum via*, Jo. 14, 6, et de quo Apostolus ait: *Ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens*, Coloss. 1, 16.

At si ob resurrectionem ex mortuis ipse principium appellatur: tunc autem facta est resurrectio, cum nostra indutus carne se ipse pro nobis morti tradidit: planum utique est his ejus verbis: *Dominus creavit me initium viarum suarum*, non ipsius naturam, sed corporeum ipsius adventum significari, quandoquidem mors propria corporis est.

Haec sunt etiam *opera*, in quae creari dicitur, ut, videlicet, pro nobis debito soluto, ea quae homini deerant, per seipsum expleret atque perficeret. Deerant autem homini immortalitas et via ad paradysum. Hoc ipsum Salvator his verbis indicat: *Ego te glorificavi in terra: opus perfeci quod faciendum mihi dedisti*, Jo. 17, 4. Opera vero quae sibi Pater perficienda dedisse declarat ipsa illa sunt in quae creatur. Nam idem est dicere: *dedit mihi Pater opera*, et: *creavit me Dominus in opera*.

Similiter illa verba explicantur: *Ante aevum fundavit me*, Prov. 8, 23. Nam necesse est ut tale sit fundamentum, qualia sunt quae super ipsum aedificantur, ut inter se possint congruere. At ut Verbum, tales, qualis ipse est, qui secum convenient habere non potest, quippe cum sit Unigenitus. At factus homo similes habet, quorum videlicet similem carnem assumpsit. Itaque secundum naturam humanam fundatur.

Praeterea quod fundatur, lapidibus super ipsum projectis fundatur, cum videlicet lapis e monte translatus, in imis terris collocatur; quamdiu enim lapis est in monte, nondum positus est in fundamento. Sic etiam Filius, cum nostra suscipit, nostri causa fundatur, ut nos qui simile habemus corpus, carnis similitudine in illo aptati, et colligati, in virum perfectum occurramus, Eph. 4, 13, immortalesque et incorrupti maneamus.

Quamvis autem in Proverbiis illa legantur: *Ante aevum*, et, *Priusquam ter-*

ram faceret, et, *Antequam montes collocarentur*, Prov. 8, 23-25, recte tamen haec cum verbis, fundavit, et, creavit, conjungi, et de dispensatione secundum carnem explicari possunt. Nam illa gratia, quae nobis a Salvatore donata est, modo quidem *apparuit*, ut ait Apostolus, Tit. 2, 11, et exorta est postquam ipse advenit: verum antequam nos nasceremur, vel potius ante mundi constitutionem praeparata fuit, sicut ex multis sacrae Scripturae textibus constat. Sic Apostolus ait: *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nobis in omni benedictine spirituali in caelestibus, in Christo Jesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate, qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum*, Eph. 1, 3-5. Et similiter: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*, Mt. 25, 34.

His adjungi potest alia explicatio. Nam ut nostrum verbum, Verbi, qui Dei est Filius est imago: ita sapientia in nobis facta ejusdem Verbi, quae ipsa est Sapientia, imago quoque est in qua cum vim sciendi et intelligendi habeamus, idonei efficimur qui creatricem sapientiam recipiamus, ejusdemque Patrem per ipsam possumus cognoscere. Quoniam ergo hujusmodi Sapientiae forma creata in nobis et in omnibus est, non immerito vera et opifex Sapientia ca quae suae forma propria sunt sibi ipsi asciscens ait: Dominus creavit me in opera sua. Quippe ea quae sapientia quae in nobis est loquitur haec ipse Dominus tamquam propria usurpat. Quocirca non ille creatur qui creator est, sed propter suam imaginem in ipsis operibus creatam, ista velut de se ipse ait.

Demum Filio gaudet Pater eodemque gaudio Filius in Patre delectatur dicens: *Ego eram quo delectabatur, per singulos dies in conspectu ejus delectabar*, Prov. 8, 30. Haec autem rursus probant Filium non alienum, sed proprium naturae Patris esse. Non ergo Filius factus est, neque omnino e nihilo est, neque Deus sibi auctorem gaudii comparavit extrinsecus; sed illae voces aliquid quod proprium sit et simile significant. Nunquam autem contigit ut Pater non gaudeat. Quod si semper gavisus est, semper fuerit necesse est is in quo gaudebat. In quo autem gaudet et laetatur Pater, quam cum se ipse cernit in propria imagine, quae Verbum suum est? Quod si etiam post perfectum mundum filiis hominum delectabatur, sic eis delectabatur, non quasi gaudium ipsi accidisset, sed quatenus opera ad suam imaginem facta intuebatur. Illa proinde Dei oblectatio suam imaginem causam habet. Ipse vero Filius an alio oblectatur modo, quam cum se ipse in Patre contemplatur? Haec igitur S. Athanasius.

III

Nec multum ab his differunt quae apud alios sanctos Patres et scriptores ecclesiasticos habentur.

Sic Eusebius Caesariensis, qui vocem illam, *condidit*, positam esse dicit pro, *constituit*, vel, *ordinavit*: "Quod si de Filio sapientiam capias, omnia bene fluent: nec occurret tibi quidquam hic impietatis, cum perhibeat tibi testimonium beatus Paulus Apostolus, qui pronuntiat clare Servatorem et Dominum nostrum Jesum Christum Dei Sapientiam nominandum, ubi ait, Christus *Dei potentia et Sapientia*, I Cor. I, 24. His ad hunc modum ita apparatis, ad superius proposita consequens est hoc: *Dominus condidit me principium viarum suarum ad opera ejus*, Prov. 8, 22, e persona ejus usurpari. Quod si dicat conditum illum fuisse, non ita dixit, quasi vellet intelligi, eum de non ente ad esse processisse: nec quod ad modum creaturarum reliquarum, de non ente producebatur, quod nonnulli minus recte sunt arbitrati, sed quod praeeexistens, et praesubsistens, ante omnem mundi constitutionem erat: quodque a Domino suo Patre constitutus omnium dominator, posito illo, *condidit*, hoc in loco, pro *constituit*, vel *ordinavit*. Sic qui dixit: *Cor mundum crea in me*, *καίρον ἐν ἐμοί*, Deus, Ps. 50, 12, non dixit tamquam non habens cor. Imo orabat ille ut animus ipsi mundaretur. Sic dicitur et illud: *Ut duos creet in unum novum hominem*, Eph. 2, 15. Hoc est *in unum ducat*. Ad hunc modum metaphorice usurpata sexcenta alibi Scripturarum inveniet, qui per otium eas evolvat: alia etiam multiplicem habentia significationem, alia univoce de diversis rebus praedicata: de quibus longum esse nec praesentis temporis disserere. Ita et hoc in loco illud: *Dominus condidit me principium viarum suarum ad opera sua*, dictum est pro: *Dominus constituit me principatum obtinere super opera sua*. Atque ideo non dicitur simpliciter: *condidit me*, sed cum adjectione: *principium viarum suarum ad opera sua*. Quod in primis declarat vox hebraica. Si quis igitur genuinum sensum sacratissimae Scripturae investigare vellet, inveniet lectionem hebraicam non habere, *condidit me*, qua neque reliquorum interpretum aliquis usus est". Eusebius Caesariensis, *De ecclesiastica theologia*, lib. 3, c. 2, PG, 24, 973-976.

Aliter Marcellus Ancyranus ab Eusebio citatus, qui haec verba explicat de Verbo incarnato: "Hoc ad hunc modum posito, consequens est ut consideremus Proverbiale illud caput: *Dominus condidit me principium viarum ejus*. Vere enim *condidit*, qui quod non erat fecit, Dominus noster Deus. Carnem enim quam assumpsit Verbum, cum non esset, condidit". Et subnectit: "Igitur in novissimo maxime tempore, licet hoc novum mysterium revelabatur: ut ob id ipsum non immerito praevisum propheta dixerit: *Ante saecula fundavit me*, carnem

nepe intelligens". Et infert iterum: "*In principio, inquit, priusquam terram conderet. Terram quamnam? nostram nimirum carnem, quae post transgressionem terra demum facta fuit. Nam terra es, inquit, et in terram revertere, Gen. 3, 19*"... Illud ergo: *Dominus creavit me principium viarum suarum, ad opera sua*, ad personam retulit Servatoris, confessus illum eundem esse qui in Proverbiis haec profatur; ait igitur hisce totidem verbis: "Quocirca cum vetusta omnia praeterfluxerint, futura autem essent omnia nova, per et propter nobilitatem Servatoris nostri, Dominus noster Christus per prophetam proclamatur, inquiens: *Dominus condidit me principium viarum suarum*". Haec prolocutus, ad carnem Servatoris cogitationem suam dejicit, in sequentibus inquiens: "Vere enim condidit qui non ens creavit, Dominus noster Deus. Nam carnem non existentem suscepit nostram Verbum, et cum susciperet *principium viarum suarum fecit*... Quenam vero sint illae viae docet in sequentibus: "Ita enim ille nobis, qui secundum rationem justam instituere vitam volumus, pietatis via factus est: principium viarum omnium posteriorum". Addit autem: "principium viarum ob hoc ipsum Dominum esse et Servatorem nostrum: propterea quod viarum, quas ingressi sumus post primam viam, principium exstitit. Innuit autem traditiones acceptas a divinis apostolis, qui, secundum prophetias una cum altissimo illo praeconio, novum hoc mysterium nobis annuntiarunt". Hactenus Marcellus". Apud Eusebium Caesar., *De ecclesiastica Theologia*, lib. 3, c. 2, PG, 24, 980.

Ejusdem autem Marcelli idem Eusebius alia affert in capite sequenti: Interpretatur et illud quoque in hunc sensum: Condidit me principium viarum suarum ad opera sua. Quenam autem opera vult? illa nimirum de quibus Servator ait: *Pater meus adhuc operatur, et ego operor*, Jo. 5, 17. Et rursus: *Opus perfeci illud, quod dedisti mihi*, Jo. 17, 4. Subjungit porro, quasi sententiam horum explicans: "Quisnam ante factam per opera demonstrationem credidisset, quod Verbum Dei per Virginem generatum, nostram carnem suscepisset? et tamen universam deitatem in se corporaliter residentem demonstrasset?" Et veluti qui sententiam perfecte explicuerat, addit: "Hoc igitur est: *Dominus condidit me principium viarum suarum ad opera sua*"... Ille autem transitione facta ad illud: *Ante saecula fundavit me*, Prov. 8, 23, in medium denuo adducit carnem, inquiens: "Ita in carne ejus praeordinatam oeconomiam vocat fundamentum: quemadmodum et Apostolus loquitur: *Fundamentum nemo aliud potest ponere, praeter illud quod positum est, qui est Jesus Christus*, I Cor. 3, 11"...

De Verbo autem, quod erat apud Patrem, haec ait: "Priusquam esset mundus erat jam Verbum in Patre. Cum vero omnipotens Deus, omnia ea condere apud se constituerat, quae sunt in caelis et super terram: mundi certe productio efficaci operatione indigebat. Et cum praeter Deum nihil prorsus esset (nam ponitur in confesso quod fuerint omnia ab illo condita), tum procedens Verbum, factum est mundi conditor, quod existens prius intus, illum ipsum apparabat quemadmodum nos propheta docet Salomon: *Cum appararet terram una prae-*

sens aderam. Et: Cum fontes qui sub caelo sunt firmos poneret, et solidaret firmamenta terrae, eram apud eum adaptans ea. Ego eram in qua oblectabatur, Prov. 8, 29, 26, 30. Procul dubio siquidem gaudebat Pater, cum per Verbum suum sapienter et potenter haec omnia faceret". Sic Marcellus, apud Eusebium Caesar., De ecclesiastica Theologia, lib. 3, c. 3, PG, 24, 984, 985, 996.

Haec Marcellus, qui profecto in sua expositione alia multa habet, aliqua fortasse nimis allegorica, quemque Eusebius, vir suspectae fidei, acriter impugnat et refutat, eumque immerito sabellianismi accusare contendit. Ipse autem Marcellus acerrimus Arianorum impugnator haec duo quasi principia firmiter statuit, videlicet: Priusquam esset mundus, erat jam Verbum in Patre, et tunc nihil erat praeter Deum, ac proinde Verbum non est creatum, sed est Deus. Illa vero Proverbiorum verba: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*, intelligenda et explicanda sunt de Verbo incarnato, cujus caro et humanitas vere creata est, ac proinde consequenter illud additum: *principium viarum suarum*. et, in *opera sua*, intelligendum est de via salutis et de opere redemptionis et restaurationis humani generis, Christo a Patre commisso.

Didymus Alexandrinus praedicta verba explicat de sapientia creata seu mundana. Haec enim ait: "Nonne evidens est, de ea, quae rerum omnium causa et creatrix est, Sapientia, de magno, inquam, Deo Verbo, qui est super omnia, quemque textus iste indicare nequit, non dici in Proverbiis a Salomone illud: *Dominus creavit me?*... Sed de mundana sapientia sermonem habuit, de scientia, exempli gratia, bene discendi, exercitiis imperandi, medendi, aedificia exstruendi, in summa de ea sapientia quae in omnibus sapientibus viris quavis praeclara scientia praeditis invenitur. Revera enim si ea quae textum hunc: *Dominus creavit me*, antecedunt ac subsequuntur, prudenter quis ac pie considerare voluerit, cito, imo statim eodem in loco multa inveniet, quibus haeretici refelli queant. Nam antea haec posuerat Salomon: *Initium sapientiae timor Domini, intelligentia autem bona omnibus qui faciunt eam*, Prov. 1, 7. et rursus: *Per me reges regnant, et dynastae scribunt justitiam: per me megistanes magnificantur, et dominatores per me imperant terrae*, Prov. 8, 15-16... In subsequentibus vero haec sparsim exposuit ipse Salomon: *Dominus fecit regiones inhabitabiles, et extremitates habitatas ejus, quae sub caelo est. Quando praeparabat caelum simul cum eo aderam; quando segregabat thronum suum super ventos; quando fortes faciebat excelsas nubes; et cum securos ponebat fontes ejus, quae sub caelo est; dum poneret ipse mari legem accurate ab eo servandam*, Prov. 8, 26-29. At ille qui terram fecit ex non terra, qui rotundos caelorum orbis ex non caelis pulcre fabricavit, qui solem veloces cursus perficientem, ac omnia ubique caelorum, et terrarum illuminantem, et, ut breviter dicam, qui universa verbo condidit, ac apparere fecit, is, inquam, est unigenitus Filius Verbum Dei, qui celebratus fuit ac vocatus Dei potentia, et Dei sapientia, I Cor. 1, 24, quique ut aeterni sui et veri Patris potentia et sapientia est, initium non habet, sicut docent Joannes qui-

dem cum dicit: *Omnia per ipsum facta sunt*, Jo. 1, 3; Paulus vero, cum Hebraeis scribens ait: *Ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in sacculum saeculi. Ac nonnullis interjectis: Et tu initio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli*, Hebr. 1, 8, 10. Itaque persona quae haec omnia in Proverbiis dixit, alia est ab ea sapientia, quae ait: *Dominus creavit me*, non vero est eadem. Subjungit postea: *Et aquae non praeteribunt os ejus*, Prov. 8, 29. Sapientia ergo, quatenus creata est, quod dixit, sic exponit, ut de intelligibili ore Conditoris, nempe Dei Verbi, se loqui ostendat... Haec ergo omnia de mundana sapientia dixit Salomon. Cum enim de Sapientia Dei Patris, et unigenito ac vero Filio Verbo meminit in hisce ipsis Proverbiis, admiratione praeter modum captus, et stupore veluti percussus haec eloquitur: *Deus docuit me sapientiam, et scientiam sanctorum cognovi. Sancta autem scio. Quis ascendit in caelum, et descendit? quis congregavit ventos in sinu? quis concervavit omnem aquam in vestimento? quis dominatus est omnium extremitatum terrae? quod est nomen ejus? aut quod nomen est Filio ejus ut scias?*, Prov. 30, 3, 4. Quod vero spectat ad verba: *Ante omnes colles generat me*, Prov. 8, 25, haec de creata quae in nobis est, sapientia dicuntur, quod scilicet per creationem generata fuerit, et, ut ita dicam, quotidie cum unoquoque sapiente simul nascatur. Nam Filius Dei generatus est simul subsistens cum generante utpote Verbum, et splendor, et character substantiae ejus; sed non amplius generatur..."

Haec Didymus, qui tamen huic explicationi aliam adjungit, in qua textum praedictum exponit de Verbo incarnato, haec dicens: "Quod si concedendum etiam foret, Salomonem non ex persona sapientiae, quae in nobis est locutus fuisse; sic intelligenda tamen essent ejus verba, ut ex persona ac respectu sapientis et incomprehensibilis incarnationis dicta forent, nullo autem modo de sempiterna et invisibili natura unigeniti Dei. Nec enim ait sine additamento: *Creavit me*, sed adjecit: *in opera ejus*; perinde ac si diceret: *Creavit me*, quando ad homines, qui sunt opera ejus, veni, aut inter eos habitavi, carne ex ipsis sumpta. Nam qui est existens, et praeesistens, quique non propter seipsum, sed propter alios factus est, illum jam fuisse unum ex iis, propter quos factus est, et quibus similis factus est, quomodo intelligi potest?..."

Rursus ergo incarnationis ejus initium praenuntiat, non vero naturam aeternae ipsius deitatis. Nam cum viam homines amisissent, quae ducit ad Deum, ipse nobis in incarnatione factus est via nova et viva: et sicut propter incarnationem dixit: *Ego sum via*; et rursus: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Jo. 14, 6, id est, nisi per fidem in meam incarnationem, vadat: ita ob eandem dixit etiam: *Dominus creavit me initium viarum suarum*. Genitus enim fuit ex hypostasi quidem Patris, ab aeterno, ineffabiliter; ex intemerata autem Virgine, quatenus quidem omnia praescivit utpote Deus, et quatenus praedestinavit Incarnationem, ante saeculum genitus fuit (sicut scribunt Paulus quidem Colossensibus: *Mysterium hoc absconditum ante saecula, et a generationibus, nunc manifestatum est*

sanctis ejus, Coloss. 1, 26; Petrus vero in prima Epistola, de Christo inquires: *Qui praecognitus quidem est ante mundi constitutionem, manifestatus autem in novissimis temporibus*): sed re ipsa genitus fuit, quando apparuit, ac illuxit ex alto iis, qui in tenebris et in umbra mortis pridem sedebant; quando lapis parabolice nominatus est; quando factus est initium viarum, et fundamentum nostrum: cui fundamento, ac lapidi testimonium ita perhibent Scripturae; Paulus quidem in prima ad Corinthios Epistola scribit: *Fundamentum enim nemo potest ponere, praeter id quod positum est, qui est Jesus Christus*, 1 Cor. 3, 11...

Quae cum ita se habeant, allatum sane Proverbium referre necesse est, si non ad sapientiam, quae in nostris disciplinis inest, saltem ad Dominicam peccati expertem Incarnationem; minime vero ad ineffabilis divinae naturae Filium Verbum, per quem, et a quo, et in quo omnia condita et ornata sunt. Nam cum ait: *Dominus creavit me*, subdens: *Ante omnes autem colles genuit me*, idem est ac si diceret: Cum essem ex ipso, et simul cum eo subsisterem, creavit me postea, quatenus voluntate ejus communem habui cum hominibus naturam, sine mutatione tamen ac sine peccato, sicut paulo ante dixi. Ante omnes vero colles genuit Pater impassibiliter, et ab aeterno, et ineffabiliter; quia supra incorporea omnia est deitas. Nam illud, *ante*, praesertim cum de ipsa dicitur, indefinitum est. Praeterea vero etiam particula illa *δέ* id est, autem, id ipsum probat. Si enim creavit, quomodo genuit? Si vero genuit, quomodo creavit? Nam creaturam quidem dicere quis potest progeniem Creatoris, sicut nos dicti sumus filii Altissimi: qui autem vere genitus seu progenies est, nunquam vocabitur genitoris creatura; necdum enim hactenus a quopiam novimus hoc dictum esse... Creaturam vero *καταχρησιῶς* hoc est, quadam vocis abusione, nominat humanitatem, ut et mundanam sapientiam... Ac sane si quis dicat: Ille (quicumque fuerit) condidit hoc, aut fecit episcopum, vel clerum, vel exercitum; is non significat, substantiam aliquam ex nihilo productam esse, quamvis ambiguo verbo, *condidit*, aut *fecit*, utatur; sed eos qui jam existebant, aut jam subsistentem materiam quodam ordine, aut certa dispositione donatam fuisse designat. Et hymnodus de viscere, quod jam habebat, perinde loquitur quasi adhuc ipsi dandum sit, dum sic precando clamat: *Cor mundum crea in me, Deus...* Didymus Alexandrinus, *De Trinitate*, lib. 3, c. 3, PG, 39, 808...

Similiter S. Epiphanius, qui primo quidem negat haec verba dici de Filio Dei: "Exordiar igitur ab illo Salomonis dicto, quam amarissimam dogmatis sui radicem serere posse sibi persuaserunt: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*, Prov. 8, 22. Quem locum nusquam Scriptura repetendo confirmavit, aut apostolorum quisquam commemoravit, ut ad Christum accomodarent. Quamobrem de Filio Dei nullo modo loquitur, quamvis ista subjiciat: *Ego Sapientia habitavi in consilio, et scientiam, et intelligentiam advocavi*, Prov. 8, 12. Quam enim multae quodam vocis abusu Dei sapientiae nominantur? Sed una est prae omnibus qui unigenitus appellatur, quaeque hoc nomen re ipsa, non vocis

abusione, sibi vindicat. Etenim omnia, quae ad Deum pertinent, sapientia sunt, quaeque ab illo proficiscuntur; sed alia tamen est proprie dicta omniumque suprema, Dei videlicet unigenitus Filius, qui non accommodatione vocis, sed ex rei veritate sapientia dicitur: qui est cum Patre perpetuo, utpote Dei virtus et Dei sapientia", 1 Cor. 1, 24.

At deinde aliam explicationem subjungit, praedicta verba ad Christum referens: "Nam cum totus ille liber ex proverbiiis contextus sit, quidquid autem per proverbium effertur, aliud verbis prae se ferat, aliud sensu ipso per allegoriam significet; si fuerit illa quam isti putant, Salomonis mens, et ad Dei Filium referre nonnulli audeant: primum de divinitate ipsius intelligere omnino nefas est; deinde si forte, ad assumptam ab eo hominis naturam convenire poterit. Quando quidem: Sapientia ipsa sibi domum exstruxit. Prov. 9, 1. Quod si ita est, ab humana natura dictum existimari salva pietate potest, quae de divinitate sua loquatur: *Dominus creavit me*, hoc est, aedificavit me in utero Mariae, *initium viarum suarum, in opera ipsius*. Initium quippe viarum, et adventus in hunc mundum Christi, corpus ejus est ex Maria assumptum, ac justitiae et salutis opus ascitum. Quippe carnem et susceptam hominis naturam divinitas fabricavit, tanquam viarum suarum initium, et ad opera sua; hoc est quae ad hominum salutem bonitatemque pertinent. Deinde vero in progressu ipso rerum, *fundavit me*, inquit, *initio*. Ubi pie illud animadvertere possumus, humanam his verbis animam declarari. Nam haec ipsa *Dominus creavit me*, si ad eum sensum referre placeat, ab humanitate usurpari putanda sunt. Quod autem fundasse dicit, animam potissimum spectat; cujus ratione, fundatus dicitur. Jam quod additum est: *Ante omnes colles genuit me*, sic accipiendum est, ut caelestem illam generationem demonstret. Atque haec ita dicimus, non ut eo modo se habere penitus definiamus sed ut pie nihilominus de Christi Domini nostri incarnatione sentiamus, siquidem ejusmodi esse debeat loci hujus sententia. Quanquam nemo cogere nos potest, ut de Christo dictum illud existimemus. Verumtamen ut ad Christum spectare demus, suum habere potest sensum; qui non vaticinando confictus, sed ex animi pietate profectus est, ne quem in Deum cedere defectum arbitremur, aut Filii divinitatem essentia Patris inferiorem esse sibi quisquam persuadeat. Nam et nonnulli orthodoxorum Patrum locum illum Salomonis de incarnatione Christi interpretati sunt: *Dominus possedit me, et fundavit me*. Estque hic demum sensus pietati consentaneus, cum ita, ut dixi, magni quidam Patres intellexerint". S. Epiphanius. *Adversus haereses*. Haeres. 69, n. 2fl, 21, 23, 24. PG, 42, 232...

Clarius et brevius idem S. Epiphanius in Ancorato: "At etenim scriptum est, inquiunt: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera ipsius*. Prov. 8, 22. Sed vanissimi scilicet homines primum omnium libri inscriptionem ac nomen ignorant. Nam liber iste Proverbia Salomonis inscribitur. Quidquid vero proverbii more dicitur, non idem est cum vi et proprietate verborum... Adde quod illud liquido nescimus, utrumnam Proverbiorum auctor Salomon de Dei

Filio superiora illa verba protulerit. Quippe non unum sapientiae genus est... Une et Apostolus scribit: *Non novit mundus per Dei sapientiam Deum*, I Cor. I, 21. Et: *Stultam reddidit Deus sapientiam mundi*, I Cor. I, 25...

Tametsi ea quae in illo loco dicuntur, violenter ac parum apte sibi invicem opponi video, si ad aeternam illam sapientiam referantur. Sic enim loquitur: *Creavit me principium viarum suarum in opera ipsius, ante saeculum fundavit me: ante colles omnes genuit me*. Jam vero quod gignitur, qua tandem ratione fundatur? Quomodo vero gignitur id quod creari dicitur? Nam si creatum est, non est profecto genitum: nos enim quae gignimus non creamus, et quae creamus, non gignimus: quippe creati nos sumus, et quae gignuntur a nobis creata sunt. In increato vero Deo quod gignitur, creatum esse non potest: si enim genuit non creavit. Quodsi postquam creavit iterum genuisse dicatur, quomodo id quod principio creatum est, postea gignitur? Quamobrem si de Christo quae in illo loco dicuntur accipienda sunt, ad illius incarnationem referuntur. Propterea quae propinquiora sunt, primo loco commemorat, tum antiquiora subjicit. Nam cum de citimis hominibus persuadere velit, a carne ducit exordium. Quippe evangelicae justitiae viarum initium istud est: *Verbum caro nobis in Maria factum est*, Jo. I, 14; anima vero in ipsius carne fundata, ut quae superiora sunt posteriora demonstret. Ceterum e paterno sinu caelitus allapsum in terras fuisse dicimus quandoquidem ad nos postea se contulit, suam ut omnem administrationem perficeret. Quocirca Verbum creatum non fuit: minime id vero; neque quidquam tortuosum et obliquum ullam in rem nobis Scriptura proposuit". S. Epiphanius, *Ancoratus*, 42-43. PG, 43, 92...

Similiter S. Basiliius, haec eadem exponit de Verbo incarnato: "Si qui in carne est dicit: *Ego sum via*; et idem: *Nemo venit ad Patrem nisi per me*. Jo. 14, 6; ipse etiam est qui dixit: *Dominus creavit me initium viarum suarum*, Prov. 8, 22. Quin et de genitura dicitur creatura et factura, ut illud: *Creavi hominem per Deum*; Gen. 4, 1; et iterum: *Fecit filios et filias*, Gen. 5, 4; et David: *Cor mundum crea in me, Deus*, Ps. 50, 12, non petens aliud, sed id videlicet, quod erat postulans mundari. Dicitur autem nova creatura, non quod alia creatura facta sit, sed quod hi qui illuminantur, ad meliora opera praeparentur. Si Filium Pater creavit ad opera, non propter ipsum, sed propter opera creavit. Quod autem propter aliud, non propter se fit, aut pars est illius cujus causa factum est, aut eo minus. Erit igitur Salvator aut pars creaturae, aut minor quam creatura. Quare necesse est de humanitate ejus intelligere. Possit etiam quis dicere, Salomonem haec de illa sapientia dixisse, cujus et Apostolus meminit, ubi dixit: *Nam postquam in sapientia Dei non cognovit mundus per sapientiam Deum*, I Cor. I, 21. Praeterea neque propheta est qui dixit, sed Proverbiorum scriptor. Proverbia autem imagines sunt aliorum, non ea ipsa quae dicuntur. Si Deus Filius erat qui dicebat: *Dominus creavit me*, potius utique dixisset: Pater creavit me. Nusquam enim ipsum Dominum suum vocabat, sed semper Patrem.

Accipiendum igitur est illud, *genuit*, de Deo Filio: illud vero, *creavit*, de eo qui formam suscepit servi. Ceterum in his omnibus non duos dicimus, Deum seorsum, et hominem seorsum (unus enim erat), sed cogitatione naturam cujusque consideramus. Neque enim Petrus duos intellexit, ubi dixit: *Cum igitur Christus passus sit pro nobis carne*, I Petr. 4, 1. Si Filius, inquirunt, genitura est, non factura, quomodo dicit Scriptura: *Certe igitur sciat tota domus Israel, quod eum et Dominum et Christum fecit Deus?* Act. 2, 36. Est itaque etiam hic dicendum, id de eo qui ex Maria est secundum carnem dictum fuisse: sicut et angelus qui nuntium bonum pastoribus afferebat, dicit: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus*, Luc. 2, 11. Nam vox, hodie, de eo qui ante saecula est, nequaquam accipi potest. Verum id quod sequitur, clarius idem ostendit, ubi dicit: *Hunc Jesum quem vos crucifixistis*, Act. 2, 36..." S. Basilius. Adversus Eunomium, lib. 4, c. In illud, *Dominus creavit me*, PG, 29, 704.

Similiter S. Gregorius Nyssenus: "Quod si illud: *Dominus creavit me*, Prov. 8, 22, pro sui dogmatis patrocinio, velint esse tanquam testimonium, quod Dominus creatus sit, quasi ipse Unigenitus hac voce istud minime neget, nequaquam audiendi sunt. Neque enim evidenter probant haec verba omnino ad Dominum nostrum referenda esse; neque etiam possunt sensum hunc verbis aptare ex hebraico sermone, cum reliqui interpretes loco verbi, *creavit*, reddiderint verbum, *possedit*, vel *constituit*; neque tamen si in primigenia illa Scriptura dictio haec expresse fuisset posita, planus satis et facilis sensus existitisset, cum parabolica doctrina soleat non manifeste, sed occulte, et quasi sub velamine, et obliqua insinuatione, dictorum scopum vimque et notionem ostendere. Itaque ex ipso verborum, quae hoc loco ponuntur, contextu, cuivis in promptu est orationis difficultatem cognoscere... Itaque ex his nulla ratione oriri potest suspicio, Dominum creatum esse, apud eos, qui haec pie considerant et expendunt, praesertim apud eos, qui ex Evangelio edocti sunt, omnia quae facta sunt, per ipsum facta esse, et in ipso subsistere. *Omnia enim, inquit, per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est in ipso*, Jo. 1, 3. Non utique hoc dicturus fuisset evangelista, si Dominum quoque unum ex his quae facta sunt, esse credidisset. Quomodo enim per illum omnia fiunt, et quomodo omnia in illo subsistunt, si is, qui omnia fecit, non diversa penitus a rebus factis natura constans, non seipsum, sed creaturam fecit?... *Contra Eunom. lib. 1, PG, 45, 344.*

Similia habet idem S. Gregorius in suo libro de Fide: "Si igitur proprius noster Deus, Deus verus est, si Unigenitus Deus ex natura veri Dei non sit, quemadmodum haeretici dicunt, alienus Deus est, et noster Deus non est. Evangelium autem dicit quod oves alieno non obediant, Jo. 10, 5. Qui creatum eum esse dicit, alienum a veri Dei natura facit. Quid igitur faciunt qui dicunt, quod creatus sit? Adorabuntne eum, qui creatus sit, annon? Nam si non adorant, judaeos sequuntur, negantes adorationem Christi; sin autem adorant, idololatrae sunt, adorant enim eum, qui alienus sit a Deo vero. Atqui aequum est vel non

adorare Filium, vel adorare Deum alienum. Oportet ergo veri Patris verum Filium dicere, ut adoremus eum, et non condemnemur tanquam Deum alienum adorantes. Adversus eos autem qui dicunt illud ex Proverbio: *Dominus creavit me*, Prov. 8, 22, et per hoc putant, se aliquod firmum afferre argumentum ad probandum quod creatus sit omnium conditor et creator, haec convenit dicere, quod multa propter nos factus sit Unigenitus Deus. Etenim cum Verbum sit, caro factus est, et cum Deus sit, homo factus est; et cum incorporalis esset, corpus factus est; atque his etiam amplius et peccatum, et maledictio, et lapis, et securis, et panis, et ovis, et via, et ostium, et petra, et ejusmodi multa factus est, cum natura nihil horum sit, sed propter nos per dispensationem et administrationem talis evaserit.

Quemadmodum igitur cum Verbum sit, propter nos caro factus est; et Deus cum sit, homo factus est; ita creator cum sit, propter nos creatura factus est, quippe cum caro res creata sit. Quemadmodum igitur per prophetam dixit: *Sic dicit Dominus, qui formavit me ex ventre servum suum*, Is. 49, 5, ita etiam dixit illud per Salomonem: *Dominus creavit me principium viarum suarum ad opera*. Omnis enim creatura servit, ut inquit Apostolus. Proinde et is qui in ventre Virginis formatus est, secundum verbum prophetae, servus est, non Dominus: hoc est, is qui secundum carnem homo est, in quo Deus manifestatus est, et is, qui illic creatus est in principium viarum ejus, non Deus est, sed homo: in quo nobis Deus manifestatus est, ut corrupta ac labefactata via salutis humanae iterum renovaretur. Itaque quoniam res duas de Christo statuimus et sentimus, unum quidem divinum, alterum vero humanum, in natura quidem divinum, in administratione ac dispensatione id quod secundum hominem est: consequenter sempiternum deitati attestamus, creatum vero humanae naturae assignamus. Quemadmodum enim secundum prophetam in ventre formatus est servus, ita etiam secundum Salomonem, per hanc servilem creaturam in carne manifestatus est. Porro cum dicunt: Si erat, non est genitus; et, Si natus est, non erat: doceantur quod non oporteat carnalis nativitatis proprietates accommodare divinae naturae. Nam corpora quidem quae non erant, gignuntur: Deus autem efficit ut ea quae non sunt existant: non ipse ex eo quod non est existit. Idcirco Paulus quoque eum splendorem gloriae nominat, Hebr. 1, 3, ut doceamur, quod sicut lumen de lucerna et ex natura lumen edentis est, et una cum illa (simul enim atque emicuit lucerna, lumen quoque quod ab ea existit pariter effulget), ita hic quoque jubet Apostolus intelligere quod et ex Patre sit Filius, et absque Filio nunquam sit Pater: nam fieri non potest, ut gloria sit absque splendore, quemadmodum fieri non potest, ut absque splendore lucerna sit". S. Gregorius Nyssenus, *De Fide ad Simplicium*, PG, 45, 137.

Similiter S. Gregorius Nazianzenus: "Illud quidem unum ipsis fere in promptu est: *Dominus creavit me principium viarum suarum ad opera sua*, Prov. 8, 22. Cui argumento quo tandem modo occurremus? Num Salomonem accusabimus? Num pristina ipsius dicta ob postremum ipsius lapsum abrogabimus? Num

ipsiusmet sapientiae, ac velut scientiae artificisque rationis, secundum quam omnia condita sunt, hunc sermonem esse dicemus? Pleraque enim ex his, quae anima carent, Scriptura per prosopopoeiam loquentia inducere consuevit... Sed demus hoc sane Salvatoris ipsius, hoc est, verae Sapientiae, haec verba esse. Illud vero aliquantisper consideremus. Quid est ex omnibus rebus quod causae sit expers? Divinitas. Nemo enim est, qui Dei causam dicere queat: alioqui id Deo antiquius esset. Quae autem humanitatis a Deo propter nos susceptae causa exstitit? Profecto ut nobis salus pararetur. Quid enim aliud causae afferri possit? Ergo quoniam hic aperte, et creavit, et gignit me, reperimus, hoc simpliciter dictum censeamus. Quod enim cum causa conjunctum invenimus, id humanitati assignandum est: quod autem simplex causaeque expers, divinitati ascribendum. Age igitur, annon illud, creavit, adnexam causam habet? *Creavit enim me*, inquit, *principium viarum suarum ad opera sua*. Opera autem ipsius, veritas et iudicium, Ps. 110, 7, quorum causa divinitate delibutus est. Haec enim humanitatis unctio est. At illud, gignit me, causam non habet. Alioqui ostende quidnam ipsi adjunctum sit. Quis igitur inficias ibit, quin sapientia, secundum inferiorem quidem generationem, creata, secundum autem primam illam magisque incomprehensibilem genita dicatur". S. Gregorius Nazianzenus. Oratio XXX, Theologica IV, n. 2. PG, 36, 105.

Similia habet S. Joannes Chrysostomus ¿...?: "At Paulus dicit: *Considerate apostolum et pontificem confessionis nostrae Christum Jesum quod fidelis sit ei qui fecit ipsum*, Hebr. 3, 1, 2. Et alio loco: *Dominum et Christum illum Deus fecit*, Act. 2, 36. Et Salomon dicit: *Dominus creavit me initium viarum suarum ad opera sua*, Prov. 8, 22. Vides quomodo creaturam et facturam suam eum Scriptura significat? Verum arguent te, adversarie Dei, ea quae sequuntur. *Omnis enim*, inquit, *sacerdos, qui ex hominibus assumitur pro hominibus constituitur, ut offerat dona et sacrificia*, Hebr. 5, 1. Accepit enim ex nobis creatam carnem absque peccato, quam pro nobis Patri obtulit sacrificium. Itaque intellige quod secundum carnem fecerit eum, et non secundum divinitatem, sic et Dominum et Christum eum Deus fecit. Nam ante dispensationem ubique Deus praedicatur, sicut praemonstratum est, et nunquam aliquis facturam eum dicit, sed propter unionem carnis creatae dicit: *Dominum et Christum Deus eum fecit*. Act. 2, 3, propter auditorum crassitatem: *Dominus initium viarum suarum creavit me*. Vides quod creaturam dicit? Verum procedamus ad ea quae ibi deinceps sequuntur. *Ante saeculum fundavit me, ante omnes colles generat me*, Prov. 8, 23-25. Primum quidem o vanae gloriae sectator, disce librum Parabola inscribi. Quidquid autem per parabolam dicitur, non idem est quod verbi vis ac littera. Nam Dominus regnum caelorum sagenae, et fermento, et grano sinapis assimilavit (Mt. c. 13), et aliis multis, neque tamen dicimus regnum caelorum aliquid tale esse. Sed sine ambage dicam: *Dominus initium viarum suarum creavit me, ante saeculum fundavit me, ante omnes colles generat me*. Quomodo igitur quod gigni-

tur creatur vel fundatur? vel quomodo quod creatur gignitur? Nam si creatus est, non est genitus. Nos non creamus ea quae gignimus: neque gignimus quae creamus. Et quomodo possibile est increato patri natum esse filium creatum? Nos enim qui creati sumus, gignimus creata: Pater autem qui increatus est, Filium genuit increatum. Aquila autem interpretatus: *possedit me*, dicit. Igitur cum dicit, *creavit me* praedicit futurum, quasi jam esset factum. Etenim hic mos est Scripturae, sicut cum dicit: *Foderunt manus meas et pedes meos*, Ps. 21, 17: quasi diceret: Ego, quem videtis creatam carnem propria voluntate mihi adunasse, ab initio sum, non a Maria habeo initium: *In principio enim erat Verbum*, Jo. 1, 1: et: *Priusquam Abraham fieret, ego sum*, Jo. 8, 58. Confitere igitur Filium increatum, et cum Patre principio carentem, ut ne des et Patri principium quo ceperit esse Pater. S. Joannes Chrysostomus (vel alius auctor) *Sermo de Sancta et Consubstantiali Trinitate*, n. 3, PG, 47, 1093.

Similia etiam dicit S. Cyrillus Alexandrinus in suo Thesauro: *Dominus creavit me initium viarum suarum*, Prov. 8, 22, si quis exacte intelligere velit, inveniet, *creavit*, hic non Verbi essentiam significare, ut factam, sed alium quemdam rectum sensum. Dicuntur enim creari, et quae jam exsistunt, et quae nondum facta sunt. Id vero quod jam exsistit, quomodo dicatur creari, aliudque initium nancisci, videndum est. Nam si de iis quae nondum facta sunt dicatur, *creavit*, ea cum antea non essent, jam ad esse traducta significantur: de iis vero quae jam exsistunt, neque creatione, ut sint, indigent, non jam creare essentiam significat, sed ex alio quodam in aliud translationem. Ut cum David dicit: *Et populus qui creabitur laudabit Dominum*, Ps. 101, 19. Et rursus: *Cor mundum crea in me Deus*, Ps. 50, 12... Certe David non populum quemdam secundum essentiam creandum significavit, sed ex errore ad cognitionem Dei translatum. Neque etiam aliud praeter id quod habet, cor creari in se petit, sed ad puritatem cordis transferri cupit... Si ergo crear non semper essentiam significat, quam rationem habet, aut quomodo non stultum fieret, de iis quidem qui revera creaturae sunt recte id quod scriptum est accipere, de Verbo autem Dei, in quo praecipue id observari oportet, sinistre hoc interpretari? *Dominus enim, inquit, creavit me*, neque in hoc verbo, *creavit*, dicti vim sistit, sed addit, *initium viarum suarum in opera ejus, creavit*, et non ad esse traducens, sed *creavit initium viarum suarum in opera ejus*; quod ita intelliges: Vita legalis a Judaeis colebatur, a gentibus vero vita secundum justitiam nullo modo cognoscebatur. Verbum itaque Dei factum est, sive creatum est, caro, hoc est homo, ut initium viarum Domini et operum ejus omnibus inveniatur. In primo enim Christo evangelica vita effulsit. Vias autem et opera Domini, quid aliud esse censeamus, quam praecepta ejus? quae praestantes atque exsequentes veluti multis ac variis viis ad ipsum procedimus. Quod vero opera eximiam et rectam vitam significant, et praecepta Dei, audi quid sacra Scriptura dicat: *Vae qui faciunt opera Dei negligenter*. Jer. 48, 10.

Beatus autem David praecepta Dei appellans vias, ita exclamat: *Vias tuas, Domine, notas fac mihi, et semitas tuas doce me*, Ps. 24, 4.

Dominus creavit me initium viarum suarum in opera ipsius. Verbum hoc, *creavit*, non essentiam Verbi significat: blasphemum enim impiumque hoc esset, eum qui semper eodemque modo cum Patre existit, creatum dicere. Ita vero facilius intelliges: *Creavit me*, inquit, *initium viarum suarum*. Vias hic nominat legislatorem Mosen et prophetas, quibus velut principium quoddam ac caput et potestas constitutus est Christus; quae ab illis dicta sunt ad evangelicae praedicationis novitatem traducens, idque cum proprietate absoluta. Lex enim dicit: *Non moechaberis*, Exod. 20, 14; Christus vero: *Ego autem dico vobis: Non concupisces*. Mt. 5, 27-28. Vias autem sanctos vocavit, quippe qui suis admonitionibus ad Deum ducere possint... Nam si quis, tanquam viis quibusdam, sanctis prophetis mentem applicet, non leviter illos percurrens, sed accurate illorum sententiam eruens, discet viam bonam, hoc est, Christum dicentem: *Ego sum via*, Jo. 14, 6, per hanc mundabitur, remissionem peccatorum consequens. *Creavit* igitur *me*, inquit, hoc est, constituit me principatum atque potestatem habentem super legem et prophetas, non illorum dicta typica in universum statuentem, sed in opera ipsius meliora legem transferentem. Quod vero illud, *creavit*, non omnino essentiam significet, abunde satis antea dictum est.

Dominus creavit me, perinde est ac si dicat: Pater mihi corpus constituit, et veluti hominem me creavit, pro salute hominum. Quemadmodum enim cum Joannes dicit: *Verbum caro factum est*, Jo. 1, 14; et Paulus de Christo: *Quod factus est pro nobis maledictio*, Gal. 3, 13; et rursus: *Eum qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit*, 2 Cor. 5, 21; neque Verbum in carnem mutatum esse credimus, neque Christum ipsam maledictionem aut peccatum revera factum fuisse, sed cum sacra Scriptura ita loquatur, pie intelligimus: eadem ratione si dicit de setpso Verbum Dei: *Creavit me*, ita intelligendum est: Hominem me fecit, non vero de essentia ipsius dictum interpretandum est. S. Cyrillus Alexandr. *Thesaurus de Sancta et Consubstantiali Trinitate Assertio XV*. PG, 75, 261.

Sic demum S. Joannes Damascenus: "Alia denique prophético modo; quorum etiam duplex genus est. Quaedam enim uti futura dicuntur, velut: *Manifeste veniet*, Ps. 49, 3. Et illud Zachariae: *Ecce Rex tuus veniet tibi*, Zach. 9, 9... Quaedam autem, licet futura, dicuntur tamen uti praeterita, ut: *Hic Deus noster: post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*, Bar. 3, 38. Illud item: *Dominus creavit me initium viarum suarum ad opera sua*, Prov. 8, 22. Et illud: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis*, Ps. 44, 8; et similia. S. Joannes Damascenus, *De Fide orthodoxa*, lib. 4, c. 18. PG, 94, 1184.

Hic ergo St. Joannes Damascenus citat praedicta Proverbiorum verba inter ea quae de Christo dicuntur prophético modo, quaeque, licet futura, dicuntur tamen uti praeterita.

IV

His omnibus expositionibus Patrum Graecorum aliquae adjungi possunt ex Patribus Latinis desumptae.

Primo igitur S. Hilarius haec dicit: "Profertur enim adversum nos Sapientiae de se protestatio, quae creatam se docuerit his dictis: *Dominus creavit me in initium viarum suarum*, Prov. 8, 22..."

Distinguit igitur sanctus Doctor inter creationem in initium viarum Dei, et foundationem ante saeculum et hoc modo loquitur: "(Sapientia)... quae se nunc creatam in initium viarum Dei et in opera ejus a saeculo dixerit; ne forte ante Mariam non manere existimaretur: neque tamen creatam se ad nativitatis intelligentiam referret; quia in viarum initium et in opera sit creata; at vero ne hoc viarum initium, quod utique de divinis rebus humanae cogitationis exordium est, quisque ad subjiciendam temporis nativitatem infinitam deputaret, fundatam se ante saecula sit professsa: ut dum aliud est in viarum initium et in opera creari, et aliud est ante saecula fundari, anterior intelligeretur esse creatione fundatio: et hoc ipsum, quod fundata in opera ante saeculum est, sacramentum creationis ostenderet; quia fundatio ante saeculum, et creatio in viarum initium atque in opera post saeculum sit.

Jamvero ne creatio et fundatio fidem divinae nativitatis offenderet, sequitur: *Prius quam terram faceret, prius quam montes stabiliret, ante omnes colles genuit me*, Prov. 8, 25-26. Jam genitus est ante terram, qui ante saeculum fundatus est: neque solum ante terram, sed etiam ante montes atque colles. Et in his quidem quia de se Sapientia loquitur, plus loquitur quam auditur. Omnia enim, quaecumque ad infinitatis intelligentiam significantur, istius modi esse oportet, ne rei cuiquam aut generi secunda in tempora sint. Ceterum ad aeternitatis demonstrationem nequaquam temporalia coaptabuntur: quia per id, quod posteriora sunt ceteris, per se ipsa non manifestant infinitatis exordium; cum ipsa exordium temporale sortita sint. Quid enim magnum est, ut ante terram Deus Dominum Christum genuerit; cum Angelorum origo terrae creatione reperiatur antiquior? Aut cur qui ante terram genitus diceretur, etiam ante montes, neque solum ante montes, sed etiam ante colles natus manifestaretur: cum collium significatio post montes sit, montium vero intelligentia post terram sit? Per quod existimari non potest, idcirco haec esse dicta, ut ante colles et montes et terram esse intelligeretur, qui ea quae ante terram et montes et colles sunt, infinitatis suae aeternitate praecelleret...

Non enim per haec, quorum creationem mente concipimus, comprehendi generatio ejus potest, qui anterior his omnibus est ut quamvis praestet in tempore, non tamen infinitus sit, cui hoc solum tributum sit, ut ante temporalia

natus sit. Nam cum illa tempori in sui constitutione subjaceant, ille tamen, licet anterior his omnibus sit, non sit liber a tempore: quia temporalis horum constitutio tempus nativitatis ejus, qui ante sit natus, ostendat; dum hoc ipsum ei tempus est, quod temporalibus antefertur.

Sed Dei sermo et verae sapientiae doctrina loquitur perfecta, et absoluta significat, docens se non temporalibus esse anteriorem, sed infinitis. Cum enim praepararetur caelum aderat Deo. Numquid caeli praeparatio Deo est temporalis ut repens cogitationis motus, subito in mentem tamquam antea torpidam stupentemque subreperit, humanoque modo fabricandi caeli impensam et instrumenta quaesierit?... Quid ergo est, praeparanti Deo caelum genitam ab eo adesse sapientiam; cum neque creatio caeli ex praeparatione consistat, neque naturae Dei sit, in apparatu eum cogitando commorari? Nihil enim non semper cum Deo fuit, quidquid in rebus est: quae etsi ad creationem sui coepta sunt, non sunt tamen ad Dei scientiam vel potestatem inchoata. Et testis est nobis propheta dicens: *Deus qui fecisti omnia quae futura sunt* (Is. 45, 11 juxta LXX). Quae enim futura sunt, licet in eo quod creanda sunt adhuc fient, Deo tamen, cui in creandis rebus nihil novum ac repens est jam facta sunt: dum et temporum dispensatio est ut creentur, et jam in divinae virtutis praescientia sint creata. Et idcirco nunc Sapientia natam se ante saecula docens, anteriorem se non solum his quae creata sunt docet, sed aeternis coaeternam, praeparationi scilicet caeli, et discretioni sedis Dei. Non enim tum discreta sedes est, cum effecta est: quia aliud est dicerni sedem, aliud componi. Neque tum paratum caelum est, cum praeparatum est: nam erat apud praeparantem et discernentem. Postea vero componebat cum parante: aeternitatem suam cum praeparanti adest, et ministerium quando cum parante componit ostendens... Perpetua enim et aeterna rerum creandarum est praeparatio: neque partibus cogitationum universitatis hujus corpus effectum est, ut primum de caelo sit cogitatum, tum postea terrae cura et tractatus Deus inierit... Sed cum omnia per Deum quae sub caelo sunt facta sint, et componendo caelo Christus adfuerit, et ipsam praeparati caeli praeveniat aeternitatem; non patitur hoc existimari in Deo minutarum rerum particulatas cogitationes, quia omnis horum praeparatio Deo est coaeterna. Nam tametsi habeat dispensationem sui, secundum Moysen, Gen. 1, 5-25, firmamenti solidatio, aridae nudatio, maris congregatio, astrorum constitutio, aquarum terraeque in ejiciendis ex se animantibus generatio: sed caeli, terrae, ceterorumque elementorum creatio ne levi saltem momento operationis discernitur; quia eorum praeparatio aequabili penes Deum aeternitatis infinitate constiterat.

His igitur infinitis et aeternis in Deo Christus cum adesset, solam nobis nativitatis suae permisit conscientiam: ut quantum ad fidem proficeret Dei intellecta nativitas, tantum valeret ad susceptam religionem cognita nativitatis aeter-

nitas: quia ex eo qui aeternus est patre, nec ratio nec sensus admittat, nisi aeternum filium praedicare.

Sed creationis nomen nos et professio movet. Moveat sane nomen creationis, si non nativitas ante saecula, et creatio in initium viarum Dei et in opera praedicatur. Non enim potest nativitas pro creatione accipi: cum nativitas ante causam sit, creatio vero per causam. Ante praeparationem enim caeli erat et ante saeculum fundatus, qui in initium viarum Dei et in opera est creatus, Aut numquid ejusdem intelligentiae est, in initium viarum Dei et in opera creari, et nasci ante omnia? quorum unum habet tempus in gestis, aliud vero intemporalem intelligentiam continet”.

Distinguit ergo sanctus Doctor nativitatem ante saeculum et creationem a saeculo, in initium viarum Dei et in opera. Haec enim inferius subjungit: “Sed tandem doctrinae catholicae revelatione, quid sit Christum in initium viarum Dei et in opera creatum esse, in principio haeretice cognosce, et ipsius Sapientiae dictis impiae habitudinis tuae disce stultitiam. Coepit enim ita: *Si annuntiavero vobis quae quotidie sunt, memorabor ea quae a saeculo sunt enumerare* (Prov. 8, 21 juxta LXX)... Memorem itaque se ad dicenda ea, quae a saeculo sunt, professa Sapientia ait: *Dominus creavit me in initium viarum suarum in opera sua*, Prov. 8, 22. Rerum itaque se a saeculo gestarum significatio ista est: neque generationis ante saecula praedicatae, sed dispensationis a saeculo initae doctrina est.

Et quaerendum est, quid sit natum ante saecula Deum, rursus in initium viarum Dei et in opera creari. Quia ubi ante saeculum est nativitas, infinitae generationis aeternitas est: ubi vero a saeculo est creatio eadem in vias Dei atque in opera ejus, operibus ac viis causa creationis aptata est. Ac primum, quia Christus Sapientia est, videndum est an ipse sit initium viae operum Dei. Nec, ut opinor, ambigitur: ait enim: *Ego sum via*, Jo. 14, 6; *Nemo vadit ad Patrem, nisi per me*. Via est dux euntium, festinantium cursus, ignorantium securitas, et quaedam nescitarum ac desideratarum rerum magistra. Ergo in viarum initium in opera Dei creatur: quia et via est, et deducit ad Patrem. Sed creationis hujus, quae a saeculo est, ratio quaerenda est. Nam ultimae dispensationis sacramentum est, quo etiam creatus in corpore, viam se Dei operum est professus. Creatus autem est in vias Dei a saeculo: cum ad conspicibilem speciem subditus creaturae, habitum creationis assumpsit”.

Juxta sanctum Doctorem viae Dei sunt diversae theophaniae seu manifestationes Dei in quibus a Verbo aliquae species creatae assumptae sunt. Haec enim ait: “Videamus itaque in quas Dei vias, et in quae opera a saeculis creata sit, nata ante saecula ex Deo Sapientia. Vocem deambulantis in paradiso Adam audivit, Gen. 3, 8. Putasne deambulantis incessum nisi in specie assumptae creationis auditum: ut in aliqua creatione consisteret, qui inambulans fuerit auditus? Non requiro qualis ad Cain et Abel et Noe locutus sit, et benedicens quo-

que Enoch qualis adfuerit. Angelus ad Agar loquitur, Gen. 16, 9-13: et utique idem Deus est. Numquid speciei ejusdem est cum angelus videtur, cujus est in ea natura qua Deus est? Certe species angeli ostenditur, ubi postea Dei natura memoratur. Sed quid de angelo dicam? Homo ad Abraham venit, Gen. 18, 2. Numquid secundum hominem in creationis istius habitu Christus talis assistit, qualis et Deus est? Sed homo loquitur, et corpore assistit, et cibo alitur: verumtamen Deus adoratur... Curre per tempora et intellige qualis visus sit, vel Jesu Nave nominis sui prophetae, vel Esaiæ etiam cum evangelico testimonio visum prædicanti, Jo. 12, 41, vel Ezechieli usque ad conscientiam resurrectionis assumpto, Ez. 37, 1-10, vel Danieli hominis Filium in aeterno saeculorum regno confitenti, Dan. 7, 13-14, ceterisque aliis, quibus se in habitu variae creationis ingessit, in vias Dei et in opera Dei, ad cognitionem scilicet Dei et nostrae aeternitatis profectum. Quid hic nunc haec humanae salutis dispensatio tam impiam aeternae nativitatis contumeliam molitur? Creatio ista a saeculis est: ceterum ante saecula infinita nativitas est. Vim sane nos dictis afferre contendere, si Propheta, si Dominus, si Apostolus, si sermo ullus ad divinitatis aeternae nativitatem creaturae retulit nomen”.

Ait igitur S. Hilarius, juxta doctrinam apud antiquos Patres receptam, in illis manifestationibus Dei, quae fiebant in veteri Testamento apparuisse Verbum Dei, assumens ad hoc diversas figuras vel species creatas, et propter hoc Verbum Dei vel Sapientiam dici creatam in vias Dei et in opera. Has autem manifestationes subsecuta est incarnatio Verbi, de qua haec dicit: “Beatam autem et veram conceptae intra virginem carnis nativitatem, quia tum creaturae nostrae et natura et species nascebatur, creaturam et facturam Apostolus nominavit. Et certe cum eo (secundum eum) verae secundum hominem nativitatis hoc nomen est, cum ait: *At ubi venit adimpletio temporis, misit Deus filium suum factum de muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege sunt redimeret, ut adoptionem filiorum consequeremur*, Gal. 4, 4-5. Filius itaque suus est, qui est in homine et ex homine factura; neque factura tantum, sed etiam creatura, ut dicitur: *Sicut est veritas in Jesu, deponere vos secundum priorem conversationem veterem hominem eum, qui corrumpitur secundum concupiscentiam deceptionis. Innovamini autem spiritu sensus vestri, et induite novum hominem eum, qui secundum Deum creatus est*, Eph. 4, 21-24. Induendus itaque novus homo ille est, qui secundum Deum creatus est. Qui enim erat Filius Dei, natus erat et Filius hominis. Quia non divinitatis erat nativitas, sed creatura carnis; significationem sui generis accepit novus homo, secundum natum ante saecula Deum creatus. Et cur secundum Deum homo novus, creatus esset, ostendit secundum haec adjiciens: *In justitia, et sanctitate, et veritate*, Ephes, 4, 24. Dolus enim in eo non fuit: et factus est nobis justitia et sanctificatio, et ipse est veritas. Hunc ergo Christum, qui secundum Deum novus homo creatur, induimur. Secundum Deum

autem creatur: quia secundum Dei justitiam, et sanctificationem, et veritatem homo peccati nescius est creatus.

Si igitur Sapia, memorem se eorum quae a saeculo gesta sunt dicens, in opera Dei atque in vias Dei creatam esse se dixit; atque ita creatam, ut fundatam se ante saecula doceret, ne assumptae illius varie ac frequenter creationis sacramentum demutasse naturam videretur, cum foundationis firmitas convellendi status non reciperet perturbationem; at vero ne fundatio aliud quidquam quam nativitatem videretur ostendere, ante omnia professa est esse se genitam: nunc vero cur creatio ad nativitatem deputatur, cum quae genita ante omnia est, ipsa fundata ante saecula est; quae autem fundata ante saeculum est, ea ipsa in initium viarum Dei et in opera ejus creata a saeculis est: ut creatio a saeculis differre intelligeretur ab ea, quae ante saecula et quae ante universa nativitas est". Haec S. Hilarius, *De Trinitate*, lib. 12, n. 35-49, *PL*, 10, 454...

Sic autem S. Ambrosius: "Facessat igitur et illud, de quo calumniari solent, et discant quemadmodum dictum sit: *Dominus creavit me*, Prov. 8, 22. Non dixit: Pater creavit, sed *Dominus creavit me*. Caro Dominum agnoscit, gloria Patrem significat: creatura nostra Dominum confitetur, caritas Patrem novit. Itaque quis ignoret quia ob causam incorporationis hoc dicitur? In eo igitur se creatum dicit, in quo et hominem testificatur dicens: *Quid me quae-ritis occidere hominem, qui veritatem locutus sum vobis?* Jo. 8, 40. Hominem dicit, in quo et crucifixus et mortuus et sepultus est. Nec dubitandum quod praeteritum posuit, quod erat futurum: haec enim consuetudo est prophetiae, ut quae futura sunt, vel quasi praesentia, vel quasi facta dicantur. Denique in psalmo 21 legisti: *Tauri pingues obsederunt me*, Ps. 21, 13; legisti etiam: *Diviserunt sibi vestimenta mea*, Ps. 21, 19; quod evangelista de tempore passionis prophetatum esse significat; Deo enim quae sunt futura, praesentia sunt: et ei cui praecognita sunt omnia, ventura pro factis sunt, sicut scriptum est: *Qui fecit, quae ventura sunt* (Is. 45, 11, juxta LXX). Nec mirum si ante saecula fundatum se esse dicit, cum legeris praedestinatum ante tempora saecularia". S. Ambrosius, *De Fide*, lib. I, c. 15, n. 96-98, *PL*, 16, 573.

Ipse vero in eodem opere: "Unde intelligimus illud quod de incarnatione Domini scriptum est: *Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua*, Prov. 8, 22, id significare, quod ad redimenda opera Patris Dominus Jesus ex Virgine sit creatus. Neque enim dubitari potest de incarnationis dictum esse mysterio, cum propter opera sua a corruptelae servitio liberandae Dominus susceperit carnem; ut illum qui imperium habebat mortis, per sui corporis destrueret passionem. Caro enim Christi propter opera, divinitas ante opera; quia ipse ante omnia, sed et omnia in ipso constant. Non ergo divinitas propter opera, sed propter divinitatem opera: sicut Apostolus declaravit dicens quod propter Filium Dei omnia. Sic enim habes: *Decebat autem eum per quem omnia, et propter quem omnia, multis filiis in gloriam adductis, ducem salutis eorum per*

passionem consummari, Hebr. 2, 10. Nonne evidenter exposuit quia Dei Filius, qui propter divinitatem suam omnia creavit, is postea propter populi salutem et carnis susceptionem, et mortis assumpserit passionem?

Propter quae autem opera sit creatus ex Virgine, ipse Dominus cum illum caecum curaret, ostendit dicens: *In illo me oportet operari opera ejus qui misit me*, Jo. 9, 4. Et addidit, ut de incarnatione ejus dictum crederemus: *Cum in hoc mundo sum, lux sum hujus mundi*, Jo. 9, 5. Etenim quasi homo in hoc mundo pro tempore est; nam quasi Deus semper est. Denique et alibi ait: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi*, Mt. 28, 20.

Nec de principio residet aliquid quaestionis, cum interrogatus in carne: *Tu qui es?* responderit: *Principium quod et loquor vobis*, Jo. 8, 25. Quod non solum ad substantiam divinitatis aeternae refertur, sed etiam ad documenta virtutum. Ex hoc enim et Deum se probavit aeternum; quia omnium ipse principium est, et uniuscujusque virtutis auctor, quia Ecclesiae caput est, sicut scriptum est: *Quia ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium; primogenitus ex mortuis*, Coloss. 1, 18. Liqueat igitur et de incarnatione dictum esse principium viarum suarum, quod ad sacramentum suscepti corporis videtur esse referendum. Ideo enim carnem suscepit, ut ad caelum nobis sterneret iter. Denique ait: *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum*, Jo. 20, 17. Denique ut scias quod vias suas omnipotens Pater secundum incarnationem praescripserit Filio, habes in Zacharia ad Jesum indutum vestimenta sordida ab angelo dictum: *Haec dicit Dominus omnipotens: Si in viis meis ambulaveris, et praecepta mea custodieris*, Zach. 3, 7. Quod est vestimentum illud sordidum, nisi carnis assumptio? Viae igitur Domini velut quidam tramites bonae vitae sunt, quae diriguntur a Christo, qui ait: *Ego sum via, et veritas, et vita*, Jo. 14, 6. Via ergo superna est Dei virtus. Christus enim nobis via est. Et bona via, quae credentibus caeli regna patefecit. Viae autem Domini viae rectae sunt, sicut scriptum est: *Vias tuas, Domine, notas fac mihi*, Ps. 24, 4. Via castitas, via fides, via est abstinentia. Est namque via virtutis, est et via iniquitatis, scriptum est enim: *Et vide si est via iniquitatis in me*, Ps. 138, 24.

Principium itaque nostrae virtutis est Christus. Principium integritatis qui docuit virgines non viriles exspectare concubitus, sed integritatem mentis et corporis sancto magis dicare Spiritui, quam marito, 2 Cor. 2, 2. Principium parcimoniae Christus, qui pauper factus est, cum esset dives, 2 Cor. 8, 9. Principium patientiae Christus, qui cum malediceretur, non maledixit; cum percuteretur, non percussit, I Petr. 2, 23. Principium humilitatis Christus, qui formam servi accepit, Philipp. 2, 7, cum Patrem Deum majestate virtutis aequaret. Ex illo enim accepit virtus unaquaeque principium.

Et ideo ut haec virtutum genera disceremus: *Filius datus est nobis, cujus principium super humeros ejus*, Is. 9, 6. Principium illud crux Domini est;

principium fortitudinis, quo via sanetis est reserata martyribus ad sacri certaminis passionem". S. Ambrosius, *De Fide*, lib. 3, c. 7, *PL*, 16, 623.

Brevius idem sanctus Doctor: "Prima interpellatio querelam habuit, quod comprehendinarentur bona, quorum jam fructus desiderabatur. Secunda interpellatio, quod, exspectatus prudentibus Christi differebatur adventus, quem lex annuntiaverat, quem prophetae pollicebantur, et eo impatientius aestuabant corda justorum, quoniam ad redemptionem cognoverant esse venturum universorum. Quorum universorum? Quibus evangelico tramite viam virtutis aperiret, bonorumque operum semitas demonstraret, sicut ipse dixit in Proverbiis *Dominus creavit me principium viarum suarum*, Prov. 8, 22. Ideo ergo dicebatur ei: *Ubi est Deus tuus?* Ps. 41, 11, quia adhuc non venerat Christus, sed sperabatur. Saeviebat ergo diabolus ut obtereret quos sciebat in adventum Domini credituros, et diversis afflictabat exitiis. Interpellat ergo David, ut morantem excitet questu prophetico, festinare urgeat, admoneat subvenire. Habemus similitudinem hujus interpellationis etiam in posterioribus, ubi dicit idem propheta: *Ut quid repuisti nos, Deus, in finem?* Ps. 73, 1". S. Ambrosius, *De interpellatione Job et David*, lib. 2, c. 7, n. 26, *PL*, 14, 861.

Similiter S. Augustinus: "Secundum formam Dei dictum est: *Ante omnes colles genuit me*, Prov. 8, 25, id est, ante omnes altitudines creaturarum; et: *Ante luciferum genui te*, Ps. 109, 3, id est, ante omnia tempora et temporalia: secundum formam autem servi dictum est: *Dominus creavit me in principio viarum suarum*, Prov. 8, 22. Quia secundum formam Dei dixit: *Ego sum veritas*; et secundum formam servi: *Ego sum via*, Jo. 14, 6. Quia enim ipse primogenitus a mortuis, Apoc. 1, 5, iter fecit Ecclesiae suae ad regnum Dei ad vitam aeternam, cui caput est ad immortalitatem etiam corporis, ideo creatus in principio viarum Dei in opera ejus. Secundum formam enim Dei, principium est quod et loquitur nobis, Jo. 8, 25; in quo principio fecit Deus caelum et terram, Gen. 1, 1: secundum autem formam servi, *Sponsus procedens de thalamo suo*, Ps. 18, 6. Secundum formam Dei, *Primogenitus omnis creaturae, et ipse ante omnes est, et omnia in illo constant*, secundum formam servi, *Ipse est caput corporis Ecclesiae*, Coloss. 1, 15, 17, 18." S. Augustinus, *De Trinitate*, lib. 1, c. 12, n. 23, *PL*, 42, 837.

Eadem habet S. Hieronymus: "Et usque ad hanc veniet Deus, vel potestas prima quae potestas regnum est filiae Jerusalem. Venit autem ad hanc turrim prima potestas, sive principatus primus, ille qui dixerat: *Ego sum a, et w, principium et finis, primus et novissimus*, Apoc. 22, 13. Et qui ex persona assumpti hominis ait in Proverbiis: *Dominus creavit me in principio viarum suarum in opera sua*, Prov. 8, 22, sive ut in Hebraeo scribitur: *Dominus possedit me*: CANANI (קָנִי) enim non creavit me, sed possedit me habuitque significat". S. Hieronymus, *In Michaeam*, 4, 8-9. *PL*, XXV, 1191.

Clarius hoc exprimit idem sanctus Doctor in suo in Epistolam ad Ephesios

Commentario, ubi haec ait: "Et quia semel ad nomen creaturae venimus, et Sapientia in Proverbiis Salomonis dicit se creatam initium viarum Dei, Prov. 8, 22, multique timore, ne Christum creaturam dicere compellantur, totum Christi mysterium negant, ut dicant non Christum in hac sapientia, sed mundi sapientiam significari: nos libere proclamamus, non esse periculum eum dicere creaturam, quem vermem, et hominem, et crucifixum, et maledictionem, tota spei nostrae fiducia profitemur: maxime cum ex duobus versiculis quae praecedunt, ipsa sapientia promittat se esse dicturam quae post saecula sunt. Cum autem saecula Christus fecerit, et quae deinceps loquitur, ea sint quae post saecula dicturum se esse promiserit, ad incarnationis mysterium, non ad naturam Dei referenda sunt quae sequuntur: licet in hebraeis codicibus non habeatur: *Dominus creavit me initium viarum suarum*: sed, *Dominus possedit me*". S. Hieronymus, *In Epist. ad Ephes. 2, 10. PL, XXVI, 271.*

Sic etiam S. Fulgentius: "Ipse igitur etiam per Salomonem generationis creationisque suae insinuans veritatem, dixit: *Dominus creavit me initio viarum suarum in opere suo*, Prov. 8, 22. Sed antequam hoc diceret, manifestum futurae incarnationis suae praemisit indicium, dicens: *Si nuntiavero vobis quae quotidie fiunt, commemorabo quae a saeculo sunt* (Prov. 8, 21, juxta LXX). Enumerans deinde subjunxit: *Dominus creavit me initio viarum suarum in opere suo*. Haec utique creatio a saeculo est, non ante saeculum. Nam postmodum dicit: *Ante saecula fundavit me*; et paulo post: *Ante omnes colles genuit me*. Hic quod dicit, *ante saecula*, et *ante omnes colles*, aeternitatem voluit intelligi nativitatis divinae. Et ante saecula, et post saeculum aeternitas est. Et sic aeternitas Filii Dei ante saeculum non habet initium, sicut aeternitas ejus post saeculum non habet finem. Sic autem pro tempore futuro tempus praeteritum ponens, dicit Sapientia: *Dominus creavit me*, pro eo quod est, creaturus est me; et ita dixit tanquam factum, quod utique erat faciendum: sicut per beatum David dixit: *Foderunt manus meas et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta mea, et in vestimentum meum miserunt sortem*, Ps. 21, 17-19. Dicens itaque, *Dominus creavit me*, ostendit quemadmodum fuerit crucifixus. Sicut autem hoc utique futurum erat, quod tanquam factum de sua passione per David Dei Filius cecinit; ita futurum erat quod tanquam factum de sua incarnatione per Salomonem ipse, qui est Dei Sapientia, prophetavit. Nam ipse Salomon paulo prius ait: *Sapientia aedificavit sibi domum*, Prov. 9, 1, quod ad incarnationis Dominicae pertinet ortum... Quis ergo non videat illud totum quod de humanitate et passione Unigeniti Dei dictum est per prophetas, eodem tempore sic fuisse in veritate futurum, sicut nunc est in veritate praeteritum. Ad ostendendam vero incommutabilitatem divini consilii, factum est ut prophetica Scriptura tanquam praeteritum sit diceret in sermone quod futurum expectabatur in opere. Deus enim, de quo hic dicit propheta: *Qui fecit quae futura sunt* (Is. 45, II, juxta LXX), ideo

quae facienda fuerant, tanquam facta narrare voluit, quia quae in tempore mutabiliter fiunt, incommutabili dispositionis aeternitate firmavit. Itaque et his in quibus necdum est effectus operis, firma permanet in aeternitate dispositio creatoris. Sic ergo Dei Filius cum suo esset opere creandus, se dixit creatum, sicut crucifigendus non se dubitavit dicere crucifixum". S. Fulgentius, *Contra Sermonem fastidiosi* liber unus, c. 8, *PL*, LXV, 516, 517.

Denique Venerabilis Beda haec ait: "Alia translatio hoc loco ita incipit: *Dominus creavit me principium viarum suarum in opera sua*, quod de incarnatione Dominica dictum Patres intelligunt, dicentes, quia certi gratia mysterii dixerit: *Dominus creavit me*, et non Pater creavit me. Caro, inquit, Dominum agnoscit, gloria Patrem signat. Creatura Dominum confitetur, caritas Patrem nominat; *principium*; vel *in principio viarum suarum*, ut ipse ait: *Ego sum via*, quia surgens a mortuis, iter fecit Ecclesiae suae ad regnum Dei, ad vitam aeternam. *In opera sua*, quia ad redimenda opera Patris, ex Virgine creatus est; suscipiens carnem, ut opera Patris a corruptelae servitio liberaret. Caro enim Christi propter opera, Divinitas ante opera". Ven. Beda, *In Parab. Salomonis Allegorica Expositio*. *PL*, XCI, 966.

V

Itaque praecipuae explicationes Sanctorum Patrum de textu praedicto Proverbiorum hae fere sunt. Ex quibus omnibus haec colligi possunt:

Ut dictum et probatum est, et ut expresse asserit Venerabilis Beda in verbis superius allatis, Patres generatim textum illum Proverbiorum: *Dominus creavit me...* de incarnatione Dominica dictum intellexerunt et exposuerunt. Fuit profecto inter eos aliqua diversitas in aliquibus accessoriis, sicut, ex. gr. in exponendis illis verbis: *Ante saecula fundavit me*, quae quidem verba S. Hilarius ad divinitatem Verbi referebat ante saecula existentis; eadem vero S. Athanasius et S. Ambrosius ad incarnationem Verbi divini referebant ante saecula praevisam et predestinatam. At verba praedicta: *Dominus creavit me initium viarum suarum in opera sua*, Patres communiter ad incarnationem Verbi Dei retulerunt, qui factus est homo, et secundum naturam humanam assumptam, dicit: *Dominus creavit me*, et non Pater creavit me. Iuxta hanc igitur sententiam in illis verbis Proverbiorum continetur quaedam quasi praedictio vel praenuntiatio incarnationis, quandoquidem saepe in divinis eloquiis, quae futura sunt, tamquam praesentia aut praeterita proponuntur. Consequenter Christus Verbum Dei caro factum, dicitur *principium viarum Dei*, id est, viarum redemptionis et salutis, sive hae viae intelligendae sint ipse Christus, qui de se ipso dicit: *Ego sum via*, Jo. 14, 6, quique sua doctrina et exemplis et passione ac morte sua hominibus viam aperuit, qua ad Deum accedere et in regnum caelorum ingredi possent; sive

viae intelligantur Moyses et prophetae et apostoli, qui suis monitis et exemplis homines ad Deum perducere contendebant, sive intelligantur in genere fideles et iusti, quorum caput est Christus, qui eo modo dicatur principium viarum Dei, sicut v. gr. dicitur ab Apostolo primogenitus ex mortuis, Coloss. 1, 18, aut primitiae dormientium, I Cor. 15, 20. Similiter, juxta hanc Patrum sententiam, Christus dicitur creatus in opera Dei, videlicet, in opus salutis hominum, in opus redemptionis, quod Pater Filio suo incarnato perficiendum commisit, Jo. 17, 4.

Haec igitur Sancti Patres dicebant. Arianis autem illum textum Proverbiorum objicientibus, primo quidem respondebant verba illa in Proverbiis esse conscripta, atque ideo proverbiorum more esse intelligenda, videlicet, investigandum esse sensum quendam occultum et reconditum, qui in proverbiiis vel parabolis lateret, sicut in illis parabolis evangelicis a Christo Domino propositis.

Deinde vero Arianorum argumentis dupliciter respondebant, indirecte, scilicet, et directe.

Indirecte quidem respondebant, Sapientiam divinam seu Verbum vel Filium Dei non esse creaturam, neque ullo modo esse aut dici posse creatum, id quod invicte probabant multis et diversis textibus, tum ex tota sacra Scriptura desumptis, tum praesertim ex illo ipso Proverbiorum loco, qui ab Arianis objiciebatur. Ibi enim Sapientia Dei expresse ait se ante omnes colles genitam esse (πρὸ δὲ πάντων βουνῶν, γεννᾷ με), Prov. 8, 25, se in ipsa rerum creatione fuisse apud Deum, vel cum Deo, cuncta componentem, et tanquam objectum divini gaudii, se eam fuisse, in qua Deus sibi complacebat (ἤμην παρ' αὐτῷ ἀρμόζουσα ἐγὼ ἤμην ἢ προσέχαιρε, Prov. 8, 30).

Directe vero respondebant, explicando verba illa in quibus tota quaestio versabatur, *Dominus creavit me*, idque dupliciter. Primo enim dicebant aliqui, ut S. Athanasius, Eusebius et alii, verbum illud, *creavit* (ἔκτισε) non sumendum esse, neque semper sumi in sacra Scriptura in sensu proprio et stricto ita, ut significet productionem ex nihilo, sed sumendum in sensu lato ita, videlicet, ut idem esset ac *constituit*, *ordinavit*, *praefecit*, etc. Sed praeterea dicebant illa verba non simpliciter a Sapientia divina proferri, sed a Sapientia divina incarnata, a Filio Dei, qui homo factus est, et accepta forma servi, Deum Patrem suum, Dominum vocat dicens: *Dominus creavit me* (Κύριος ἔκτισέ με). Ex his duabus explicationibus, prima quidem exegetice verior videtur, et contextui scripturistico conformior. Altera vero dogmatice clarior et expeditior erat, et ad Arianos refellendos efficacior.

Prima enim expositio, quae verbum, *creavit*, in sensu lato intelligit et explicat, et objectionem plane solvit, et ipsa sola sufficiens est, ut recte intelligit et exponit clarissimus et notissimus interpres Cornelius a Lapide, qui haec ait: "Dices: Quomodo de Filio Dei dici potest: *Dominus creavit me*? Inde enim Ariani concludunt Filium Dei non esse Deum, sed creatum et creaturam... Re-

spōdeo secundo; Ἐποίησεν non tantum significat, creavit, sed et, condidit, fecit, operatus est. Sic et latinum, creavit, in Scriptura saepe idem est quod fecit; fecit autem vel condidit Deus Pater Filium suum, quia illum genuit. Sic in Scriptura haec tria, creare, facere, gignere, saepe pro eodem sumuntur; verbum enim creo amplissime sumitur, uti paulo ante ostendi. Ita S. Athanasius, *serm. 3 Contra Arian.*, et S. Cyrillus, *lib. V Thesauri, cap. VI*". Haec a Lapide.

Huic accedit explicatio S. Thomae: "Quod autem dicitur sapientiam esse creatam, primo quidem potest intelligi non de sapientia quae est Filius Dei, sed de sapientia quam Deus indidit creaturis... Potest etiam referri ad naturam creatam assumptam a Filio... Vel per hoc quod sapientia et creata et genita nuncupatur, modus divinae generationis nobis insinuatur. In generatione enim, quod generatur accipit naturam generantis, quod perfectionis est: sed, in generationibus quae sunt apud nos, generans ipse mutatur, quod imperfectionis est; in creatione vero, creans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo simul Filius creatus et genitus, ut ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, ex generatione unitas in Patre et Filio; et sic hujusmodi Scripturae intellectum Synodus exposuit, ut per Hilarium patet". S. Thomas, *Summa contra gentes*, lib. IV, c. 8.

Ergo, juxta hanc explicationem, Verbum Dei seu Filius potest vocari simul creatus et genitus, dummodo haec recte accipiantur, ita videlicet, ut dicatur in lato sensu, creatus, ad exprimendam immutabilitatem Patris generantis: dicatur vero, in sensu proprio, genitus, ad significandam unitatem naturae seu consubstantialitatem Filii cum Patre. Haec igitur explicatio, se sola sufficeret, et ad declarandum praedictum Proverbiorum textum, et ad solvendam Arianorum objectionem.

At sicut dictum et probatum est, Sancti Patres communiter, hac explicatione non contenti, verba illa Proverbiorum: *Dominus creavit me...*, ad naturam creatam assumptam a Filio referebant. Notandum autem in primis est, Sanctos Patres, saltem, fere omnes, praedicta Proverbiorum verba declarasse, non in suis Commentariis vel Expositionibus, sed in disputatione vel controversia cum Ariani. In disputationibus autem spectari solet, non modo quid Scriptura dicat, sed etiam quid adversarii objiciant, quidve ad eos refellendos aptius atque efficacius sit. Ariani vero non illum Proverbiorum textum solum objiciebant, sed simul cum aliis textibus novi Testamenti, qui profecto de Christo Domino intelligendi erant, sicut, v. gr., verba illa S. Pauli: *Considerate Apostolum, et Pontificem confessionis nostrae Jesum: qui fidelis est ei qui fecit illum*, Hebr. 3, 1-2, aut etiam illa verba S. Petri: *Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis*, Act. 2, 36. Quoniam ergo hi textus de Verbo incarnato intelligebantur et expone-

bantur, pronum erat, ut alius ille textus Proverbiorum, de Sapiaentia incarnata intelligeretur etiam et exponeretur.

Sed praeterea haec explicatio, sicuti dictum est, dogmatice clarior erat, et ad refellendos Arianos efficacior, quippe quae, servata verborum proprietate, illaesa pietate, retineri poterat. Ariani enim, ut haeretici solent, ambiguitate verborum errores suos tegebant, et dicebant Verbum Dei a reliquis omnibus esse diversum; esse quidem creatum, sed non ut unam e rebus creatis; esse genitum, sed non ut unam ex rebus genitis. Patres igitur, ut efficacius eis omnem viam evadendi praecluderent firmiter asserebant Sapiaentiam aut Verbum Dei nullo modo dici posse vere ac proprie creatum, illa vero verba Proverbiorum: *Dominus creavit me*, intelligenda esse de Verbo Dei incarnato, secundum humanitatem ab eo susceptam.

Attamen Sancti Patres, ut dictum est, non hanc expositionem textus ut unicam proponebant; quin imo aliqui ex eis, ut responderent Arianis, versionem Aquilae, et aliorum antiquorum allegabant, qua semel admissa, tota difficultas penitus evanescit.

VI

Dominus possedit me...

Versionem hanc allegavit jam Eusebius Caesariensis, his verbis: "Si quis igitur genuinum sensum sacratissimae Scripturae investigare vellet, inveniet lectionem hebraicam non habere, *condidit me*, qua neque reliquorum interpretum aliquis usus est. Aquila legit: *Dominus possedit me, caput viarum suarum*. Symmachus: *Dominus possedit me initium viarum suarum*. Sic et Theodotio: *Dominus possedit me initium viae suae*. Et non abborret a ratione interpretatio. Erat enim ille quem genuit Pater Unigenitum, caput progeneratorum omnium visibilium et invisibilium: quod ad exortum attinebat et salutem eorum".

Inferius autem haec addit: "Aut secundum repraesentatam interpretationem: *Dominus possedit me*. Magna siquidem Dei possessio, erat Filius unigenitus: eo quod ex ipso genitus Filius erat ejus: eo autem quod omnibus proficiens et salutem afferens constituebatur, maxima et erat et nominabatur possessio sui Patris. Neque enim patri magis honorabilis et grata contigerit possessio, quam est filius. Unde et Adam ille protoplastes, cum primum possederat filium, ut homo dixit: *Possedi hominem a Deo*, Gen. IV, 1. Ubi in hebraeo est pro possedi, canithi (קניתי): et pro possedit, cana (קנה). Sic de Abrahamo usurpatur: *Ager quem possedit Abraham*, Gen. XXV, 10; in hebraeo est cana (קנה), quae est eadem vox usurpata in: *Dominus possedit me principium viarum suarum ad opera sua*. Unde cum ibidem vox cana (קנה) sit, conspiranter omnes reddi-

dere interpretes, possedit. Illud vero, condidit, rejicitur ab Hebraeis, nec in praesenti scriptura reperitur. Plurimum vero differt *ἔκτιστος*, creavit, et *ἐκτίσαστο*, possedit: cum illud significet communi notione, creaturarum processum, de non esse ad subsistere: hoc vero rei praexsistentis possessionem, et proprietatem peculiarem possidentis. Inquiens ideo Dei Filius: *Dominus condidit me principium viarum suarum ad opera sua*, simul et ejus indicat praexsistentiam, et peculiarem ad Patrem proprietatem; necnon utilitatem quam paterna ejus opera, de illius administratione et providentia perceptura erant: inde et infert: *Ante saecula fundavit me. In principio priusquam terram faceret, antequam prodirent fontes aquarum: priusquam montes stabilirentur, ante omnes colles genuit me*, Prov. 8, '23-25. Quibus singulis declaratur, quam fuerit ille utilis et necessarius rerum universitati: doceturque quod et erat, et ante erat, et ante mundum universum subsistebat, et rebus omnibus praesidebat". Euseb. Caesar. *De Ecclesiastica Theologia*, lib. 3, c. 2. PG, 24, 977.

Haec igitur Eusebius, in cujus verbis frustra requiretur aliqua idea de substantialitate Verbi cum Patre, qui tamen clare et recte distinguit inter sensum verbi, creavit, et possedit, et inter notionem verae creationis, seu processus creaturarum, de non esse ad subsistere, et notionem possessionis et proprietatis peculiaris possidentis.

Haec autem ait Didymus Alexandrinus, in loco superius allato: "At praeter haec omnia, quae nulli dubitationi obnoxia sunt, aliud etiam habeo quod opponam; nemo autem quidquam contra id ne excogitare quidem poterit, nedum illud impugnare. Aquila enim, unus ex interpretibus, hunc Scripturae locum, qui hebraice habet: *Adonai canoni* (proprie יְהוָה קָנָנִי) sic transtulit: *Dominus possedit me*: ac ne ipse quidem proprio vocabulo usus est: si enim accurate verbi significationem reddere velimus, vertendum est: *Dominus nidificavit me*, id est, *genuit me*. Nam proprie cum de illis sermo est, qui ex ovo exsiliunt, non vero qui creantur, dicitur: Nidulatus est, aut exsilire fecit, et nidulatur, et exsilire facit: quod vero exsilire facit, heterousium non est, nempe alterius substantiae ab eo, quod ex ipso exsilit. Itaque sive dictionis etymon spectetur, sive totius sermonis sensus, a veritate alienum est quod ajunt haeretici". Didym. Alexandr. *De Trinitate*, lib. 3, c. 3. PG, 39, 825.

Ita ergo Didymus, qui non contentus interpretatione Aquilae: Dominus possedit me, aliam ipse componit vel proponit: Dominus nidificavit me, deducens, videlicet verbum illud קָנָנִי a voce hebraica קָן, quae significat nidum.

Similiter S. Epiphanius, cui haec altera interpretatio etiam placuisse videtur. Haec enim dicit: "Imo vero proprie loqui si velimus, apud interpretes non ita lectio ista concipitur. Nam Aquila sic reddidit: *Dominus acquisivit me*. Quandoquidem in hebraeo sic legitur: *Adonai canani*. Quod ita uti diximus, interpretari possumus. Sed et nos cum de susceptis liberis agimus, acquisitos ab aliquo dicere solemus. Qui quidem sensus loci illius sententiam non sic obsignavit, ut

alius accommodari nequeat. Quippe eadem illa: *Adonai canani*, explicari hoc modo possunt: *Dominus quasi pullum genuit me*: Κύριος ἐνόσσευσέ με. S. Epiphanius, *Ancoratus*, c. 44. PG, 43, 96.

Latius eadem exposuit idem sanctus Pater in suo Panario, ubi haec ait: "Ceterum hebraice longe aliter legitur, ideoque sic Aquila interpretatur: *Dominus possedit me*. Solent enim qui liberos suscipiunt vulgo dicere: Possedi filium. Quamquam ne Aquila quidem vim satis expressit. Nam illud, possedi filium, recens aliquid ac novum significat, cujusmodi in Deo nihil est. Ac si quis nihilominus illud concesserit, genitus tamen a Patre Filius, non creatus existi mandus est. Atque ita quidem genitus, ut sine tempore aut initio sit genitus. Neque enim Filium inter et Patrem tempus ullum interceptum est, ne qua temporis pars Filii originem antecessisse dicatur... Jam vero hebraice ita legitur: *Adonai*, hoc est, *Dominus*, *canani*, hoc est, *velut pullum edidit me*, vel *possedit me*. Multo autem commodius est, ut priore modo reddatur, *tanquam pullum edidit me*. Equis vero pullus ex ejus natura non proficiscitur, a quo genitus est?...

Atque ut voces illas interpretemur, *Adonai canani*, hoc est, *Dominus foedificavit me*; quidquid alterum gignit, simile utique sibi gignit. Ergo et hominem homo generat, et Deus Deum: ille carne, hic spiritu generat. Qualis porro est generans homo, talis est et genitus. Homo qui generat, cum affectionibus sit obnoxius, perinde et filium gignit; Deus autem omni affectione carens, sine eadem et genitum a se Filium produxit; et quidem vere non specie sola, ex semetipso, non extra se genuit; spiritus utique, sine ulla, uti dixi, affectione, ac sine eadem spiritum generans, Deus affectionis expers verum Deum sine affectione producit". S. Epiphanius. *Panarium adv. haeres. Haeres.* 69, n. 25, 26. PG, 42, 241.

Breviter et clare S. Basilius: "Interim tamen neque illud silentio praetereamus, interpretes alios qui convenientius hebraicarum vocum sententiam assecuti sunt, *Possedit me*, pro, *Creavit*, edidisse: quod eis (Arianis) erit maximo impedimento ad creaturae blasphemiam. Qui enim dixit: *Possedi hominem per Deum*, Gen. 4, 1, constat eum hac voce usum esse, non quod creasset Cain, sed quod genuisset". S. Basilius, *Adv. Eunomium*, lib. 2, n. 20. PG, 29, 616.

Similiter S. Gregorius Nyssenus: "Quod si illud: *Dominus creavit me*, Prov. 8, 22, pro sui dogmatis patrocinio, velint esse tanquam testimonium, quod Dominus creatus sit, quasi ipse Unigenitus hac voce istud minime neget, nequaquam audiendi sunt. Neque enim evidenter probant haec verba omnino ad Dominum nostrum referenda esse; neque etiam possunt sensum hunc verbis aptare ex hebraico sermone, cum reliqui interpretes loco verbi, *creavit*, reddiderint verbum *possedit*, vel *constituit*". S. Gregorius Nyssen. *Contra Eunomium*, lib. 1. PG, 45, 344.

Ex Patribus latinis satis sit adducere S. Hieronymum, qui haec ait: "Et qui in persona assumpti hominis ait in Proverbiis: *Dominus creavit me in principio viarum suarum i novera sua*, Prov. 8, 22, sive ut in hebraeo scribitur: *Do-*

minus possedit me: CANANI (יָנָנִי) enim non creavit me, sed possedit me habuit-que significat". S. Hieron. *In Mich.* IV, 8-9. *PL*, 25, 1191.

Similia dicit idem sanctus Doctor in suo Commentario in Epist ad Ephesios: "Cum autem saecula Christus fecerit, et quae deinceps loquitur, ea sint quae post saecula dicturum se esse promiserit, ad incarnationis mysterium, non ad naturam Dei referenda sunt quae sequuntur: licet in hebraeis codicibus non habeatur: *Dominus creavit me initium viarum suarum*: sed: *Dominus possedit me*. Inter possessionem autem, et creationem multa distantia est: quia qui possidetur, is utique est atque subsistit, et est proprius, qui possidetur. Creatur vero ille qui non erat antequam fieret: aut certe de eo quod erat, transfertur in aliud, sicut et nos nunc creati dicimur in Christo Jesu. Creati utique, non quia ante non fuimus, sed creati in operibus bonis". S. Hieron. *In Epist. ad Ephee.* II, 10-11. *PL*, 26, 471.

Demum idem S. Hieronymus, in Isaiam hanc esse lectionem unice admittendam contendit, dicens: "Hoc precantur, ut post pacem sibi redditam Dei possessio fiant. Quod quidem et de Sapientia legimus, quae juxta hebraicum loquitur in Proverbiis: *Deus possedit me initium viarum suarum*, Prov. VIII, 22, licet quaedam exemplaria male pro possessione habeant creaturam. Denique sequitur: *Ante omnes autem colles generavit me*. Quomodo enim creaturae generatio poterit coaptari, quae magis possessioni congruit?" Ita. S. Hieron. *In Is.* XXVI, 13. *PL*, 24, 298.

VII

Haec igitur lectio et explicatio praeferenda est, quam habet etiam nostra Vulgata: *Dominus possedit me*. Ut enim recte notavit S. Hieronymus, et antiquiores quoque Patres dixerunt, ut S. Athanasius, Didymus Alexandrinus, S. Epiphanius et alii, creaturae generatio non bene coaptari potest. Quod enim creatur non gignitur, et quod gignitur non creatur. At hic Sapientia clare dicit se esse genitam, Prov. 8, 25: *Ante omnes colles gignit me* (LXX), vel: *Ante colles ego parturiebar* (Vulgat. hodiern.). Consonum ergo est, ut Sapientia non semetipsam creatam appellet, ac proinde lectio illa melior est et magis cum toto contextu cohaerens, in qua verbum illud, creavit, omittitur. Praeterea hoc idem eruitur ex vi et significatione vocis hebraicae יָנָנִי, quae significat et reddenda est, non creavit, sed possedit, ut constat, tum ex versionibus hebraicis, Aquilae, videlicet, Symmachi, Theodotionis, S. Hieronymi, tum etiam ex textibus parallelis, in quibus, saltem in plerisque verbum יָנָנִי etiam in versione LXX, redditur verbo graeco κτάομαι et ejus derivatis. Illa vero ratio, quae ab aliquibus Patribus allegatur, videlicet, ideo intelligenda esse verba praedicta de Sapientia incarnata, quia in eis dicitur: *Dominus creavit me*, et non, Pater creavit me, non

habet vim, nisi supponatur etiam versio LXX: Κύριος ἔκτισε μς. In hebraico enim non habetur vox Adonai (אֲדֹנָי), quae proprie significat Dominum, sed nomen proprium et ineffabile Dei, nomen Jahve (יהוה).

Semel autem admissa versione: *Dominus possedit me*, omnia, sine ulla difficultate, congrue et cohaerenter explicantur de Sapientia divina notionali seu de Verbo Dei, quod erat apud Patrem.

- 22). Dominus possedit me principium viarum suarum,—ante opera sua, ex tunc.
- 23). Ab aeterno inuncta sum (vel ordita sum),—a principio, a primordiis terrae.
- 24). Cum nondum erant abyssi, concepta eram,—cum nondum fontes aquis referti:
- 25). Antequam montes defixi essent,—ante colles generata sum:
- 26). Adhuc non fecerat terram, et extera,—et initium pulverum orbis.
- 27). Cum praeparabat caelos ibi ego,—cum describebat circulum super faciem
[abyssi.
- 28). Quando firmabat aethera desursum,—quando corroborabat fontes abyssi:
- 29). Quando ponebat mari decretum suum,—et aquis, ne transirent mandatum
[ipsius:
—quando statuebat fundamenta terrae:
- 30). Ad latus ejus aderam Artifex:—et eram deliciae per singulos dies,
—ludens ante faciem ejus omni tempore:
- 31). Ludens in orbe terrae ipsius:—et deliciae meae cum filiis hominum.

In his ergo verbis loquitur, ut dictum est, Sapientia Dei, Sapientia divina notionalis, et ait seipsam jam ante creationem omnium rerum fuisse apud Deum, tanquam *principium viae ejus*, aut *viarum ejus*. Viae vero Dei saepe vocantur in sacra Scriptura, opera Dei ad extra, sive naturalia illa sint, sive supernaturalia. Hic autem viae Dei, sunt ut patet, viae creationis, quibus Deus, quasi extra se egreditur, videlicet, participando et manifestando creaturis suis divinas suas perfectiones, et quibus vicissim intellectuales creaturae pervenire ac pertingere possunt ad cognitionem existentiae Dei et attributorum ac perfectionum divinarum, juxta verba illa Apostoli Pauli: Rom 1, 20. *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas.*

Itaque in verbis allatis exhibetur primo, praeeexistentia Sapientiae divinae notionalis, ante creationem omnium rerum, siquidem ante opera Dei, ex tunc possidebatur a Domino, 8, 22, et erat cum Deo, vel ad latus ejus, 8, 24, 30. Exhibetur etiam ejusdem Sapientiae processio a Deo per generationem, quandoquidem dicitur concepta, et ante colles generata, 8, 24, 25. Exhibetur praeterea ejus interventio in creatione et formatione rerum, siquidem ad latus Dei aderat Artifex; haec enim esse videtur verior interpretatio vocis hebraicae, אֲדֹנָי ut constat etiam ex versionibus antiquis, ex versione LXX, quae habet, ἀρχή-

ζουσα: in *Vulgata veteri*, disponens; in *Hieronymiana*, cuncta componens, et similiter in versione Syriaca. Insuper exhibetur Sapientia ut objectum divini gaudii, ut deliciae Dei, siquidem erat deliciae per singulos dies, ludens in conspectu Dei omni tempore, vel, ut habetur in versione LXX: ἐγὼ ἤμην ἢ προσέχαιρε, 8, 30. Ego eram quae delectabatur.

Recte igitur Venerabilis Beda, haec verba Proverbiorum explicans *PL*, 91, 965), illa confert cum initio Evangelii S. Joannis: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, Jo. 1, 1-3. Sed praeterea, ut dictum est Sapientia exhibetur, ut a Deo genita, ut deliciae Dei: ipsa est Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, Jo. 1, 18, est Filius dilectus in quo Pater bene sibi complacet, Mt. 3, 17; 17, 5. Quin imo in verbis illis a Sapientia Dei prolatis: Et deliciae meae cum filiis hominum, 8, 31, nunc jam, post factum haud immerito dicere possumus innui quodammodo divinum consilium de futura incarnatione.

Haec ergo sunt, quae in allato Proverbiorum textu continentur, non quidem nude sumpto, aut in se solo considerato, sed cum aliis textibus biblicis collato, et per clariorem et apertiozem revelationem Novi Testamenti splendide illuminato.

Sic ergo intellectus et explicatus hic textus, non modo nullam continet difficultatem, contra divinitatem Verbi Dei, verum potius indubiam assertionem praesistentiae aeternae ejusdem Verbi et divinae ipsius generationis a Patre, non illam quidem omnino claram et manifestam, sed quodammodo obtectam et obvelatam inter umbras et nebulas Veteris Testamenti.